DE IDIOTISMIS SYNTACTICIS IN TITVLIS LATINIS VRBANIS (C. I. L. VOL. VI.) CONSPICVIS

PARS PRIOR

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM CONSENSV ET AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS IN ALMA LITTERARVM VNIVERSITATE REGIA VRATISLAVIENSI AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

GVILELMVS KONJETZNY
SILESIVS

DIE XVIII · MENSIS MAII A. D. MCMVII HOR. XII · MERID.
DISSERET DOCTORANDVS
'DE LOCIS QVIBVSDAM CATVLLIANIS EMENDANDIS'
DEINDE ERIT PROMOTIO

LIPSIAE: TYPIS B. G. TEVBNERI MCMVII

Prelo mandatum consensu et auctoritate amplissimi philosophorum ordinis universitatis regiae Vratislaviensis, ad quem de hac commentatione rettulit

Fr. Skutsch.

Examen rigorosum habitum est die 13. mens. Febr. a. D. MCMVII.

Tota commentatio edetur in archii Woelffliniani vol. XV.

PARENTIBVS

Index librorum.

(C. I. L.) VI = Corpus Inscriptionum Latinarum vol. VI. Inscriptiones urbis Romae Latinae, edider. Eug. Bormann Guil. Henzen Christ. Huelsen, Berol. 1876—1902.

Bue. C. L. E. = Carmina latina epigraphica conlegit Franciscus Buecheler, Lips. 1895.

A. L. L. = Archiv für lateinische Lexikographie und Grammatik ed. Ed. Wölfflin, vol. I—XV.; afferam imprimis:

Kuebler = B. Kuebler, die latein. Sprache auf afrik. Inschriften, A. L. L. vol. VII p. 161 sqq.

Bednara = E. Bednara, de sermone dactylicorum Latinorum quaestiones, A. L. L. vol. XIV. p. 317—360; 532—604.

Draeger^{2} = A. Draeger, histor. Syntax der lat. Sprache, 2. Aufl. I. Lpz. 1878. II. Lpz. 1881.

Landgraf = G. Landgraf, histor. Grammatik der lat. Sprache, 3. Bd.: Syntax des einfachen Satzes, 1. Heft. Lpz. 1903.

Schmalz = J. H. Schmalz, Syntax und Stilistik. 3. Aufl. München 1900 (Iwan v. Muellers Hdb. der Kl. A.-W. II. 2.).

Ziemer^{2} = H. Ziemer, Junggrammatische Streifzüge im Gebiete der Syntax, 2. Aufl. Kolberg 1883.

Neue-Wagener = Neue-Wagener, Formenlehre der lat. Sprache. Bd. I—IV. 3. Aufl. Lpz. 1892—1895.

Skutsch = Fr. Skutsch, in 'Vollmöllers Jahresbericht für romanische Philologie', Bd. V—VII (1897—1904).

Brenous = Brenous, étude sur les hellénismes dans la syntaxe latine. Paris 1895.

Norden = Ed. Norden, P. Verg. Maro, Aeneis lib. VI, erkl. Lpz. 1903.

Schulze Eig = W. Schulze, zur Geschichte lat. Eigennamen. Berlin 1904.

Schulze gr. et. l. = W. Schulze, graeca et latina. Gottingae 1901.

Riemann^{2} = O. Riemann, études sur la langue et la grammaire de Tite-Live, 2ième édition. Paris 1884 (Biblioth. des écoles françaises d'Athènes et de Rome fasc. onzième).

Meyer-Lübke^{2} = W. Meyer-Lübke, 'die lat. Sprache in den romanischen Ländern' in G. Gröbers Grundriss der romanischen Philologie. I. Bd. 2. Aufl. Strassburg 1904—1906, p. 451—497.

Diehl = E. Diehl, de m finali epigraphica, Jb. f. kl. Ph. S.-Bd. XXV (1899) p. 1—327.

Roensch It. = H. Roensch, Itala und Vulgata. 2. Aufl. 1875.

Roensch coll. = H. Roensch, collectanea philologica ed. C. Wagener. Bremae 1891.

Bonnet = M. Bonnet, le latin de Grégoire de Tours. Paris 1896.

Schuchardt = Schuchardt, der Vocalismus des Vulgärlateins. Lpz. 1866—68.

Goelzer = Henri Goelzer, étude lexicogr. et grammaticale de la latinité de St. Jérôme. Paris 1884.

Anglade = Jos. Anglade, de latinitate libelli qui inscriptus est peregrinatio ad loca sancta, thesis Parisiis 1905.

Hoffmann = Maxim. Hoffmann, index grammat. ad Afric. provinciar. Tripolit. Byzacenae Proconsularis titulos latinos, diss. Argentorati 1878.

Carnoys = A. Carnoys, 'le latin d'Espagne d'après les inscriptions', in 'Le Muséon' n.[lle] série vol. II—VI (1901—1905). Louvain. Imprimis afferam vol. V (1904) p. 333—369 et vol. VI (1905) p. 324—355: Compléments sur la morphologie, le vocabulaire et la syntaxe.

Pirson = Jules Pirson, la langue des inscriptions latines de la Gaule, biblioth. de la faculté de philos. et lettres de l'université de Liège, fasc. XI. Bruxelles 1901.

Guericke = A. de Guericke, de linguae volgaris reliquiis apud Petronium et in inscript. parietariis Pompeianis, diss. Gumbinnae 1875.

Ludwig = E. Ludwig, de Petronii sermone plebeio, diss. Marburg 1869.

Heraeus = W. Heraeus, die Sprache des Petron und die Glossen, Progr. von Offenbach. Lpz. 1899.

Appel = E. Appel, de genere neutro intereunte in lingua Latina, diss. Erlg. 1883.

Meyer = W. Meyer, die Schicksale des lat. Neutrums im Romanischen, Halle 1883.

Georges[7] = Georges, Handwörterbuch der lat. Sprache. 7. Aufl. (1879—1880).

Th. L. L. = Thesaurus Linguae Latinae. Lips. 1900 sqq., vol. I—III, fasc. I (a — candidus).

Th. Gl. E. = Thesaurus Glossarum emendatarum, confec. G. Goetz, Lips. vol. VI (1899). vol. VII (1901).

Alii libri in contextu afferentur.

Tituli nullo apposito voluminis signo omnes ad C. I. L. vol. VI. se referunt; signo † titulus christianus, signo [d] titulus nunc deperditus, [c] carmen significatur, signo [?] incertam esse interpretationem indicatur.

P (*p*) = Tituli publici.
V (*v*) = Tituli volgares.
C = Carmina.

Prooemium.

Titulis latinis provinciarum Africae Galliae Hispaniae aliisque a. vv. dd. *Hoffmann Pirson Carnoys*[1]) aliis accurate pertractatis cum non sit quod inscriptiones urbis Romae ipsius diutius neglegantur, harum idiotismos syntacticos colligere atque interpretari mihi proposui, quamquam difficultatum quibus qui titulis latinis operam navet opprimatur, minime sum ignarus. Atque primum quidem titulorum, imprimis urbanorum, genera esse diversissima monendum est: sunt publici privati, sunt elegantissimi volgarissimi, sunt pedestri sermone versibus confecti, quo fit ut vel propter diversissimum dicendi genus tituli, quoad fieri possit, accurate distinguendi ac separandi sint, carmina imprimis, quorum proprietates quaedam syntacticae quam saepe metro urgente effectae sint, nuper docuit v. d. Bednara.[1]) Quodsi priusquam de syntaxi titulorum quaeratur, nonnulli partem grammaticae phonologicam esse tractandam censebunt, et libro laudato v. d. Ernesti Diehl[1]) quem inscripsit ille 'de m finali epigraphica', pars gravissima phonologiae, dico terminationes ancipites in litteras finales m (s, t, ctt.) cadentes, satis copiose omnibus Corporis inscriptionum voluminibus adhibitis tractata est et titulis Africis Gallicis Hispanicis Pompeianis a. vv. dd. quos supra nominavi exploratis satis certa praebetur ansa ad proprietates phonologicas titulorum urbanorum recte intellegendas et explicandas; quorum virorum studiis, ut exemplum afferam, effectum est, ut qua ratione nominativus accusativus ablativus in linguis quas vocant Romanensibus plane permisceri potuerint, nobis non iam obscurum sit; etiamsi in hac ipsa re saepe dubitare licet, utrum eiusmodi dicendi idiotismi terminationibus confusis an mutata in sermone 'miserae plebeculae' syntaxi explicandi sint. Sed de singulis suo loco agendum erit; iam ad rem pergamus.

---

1) vide indicem librorum.

Caput I.

De congruentia.

A. De numeris singulari et plurali.[1])

§ 1. Substantiva, quae nominantur collectiva optima litterarum aetate cum numero singulari, apud priscos scriptores et inde a Livio[2]) saepius cum numero plurali iungebantur, qui usus sermoni titulorum urbanorum usitatior est, ut hisce titulis comprobatur: P: 167 (act. lib. reip.), 1 sqq.: *[F]orte [F]or[tunai] donum dant conlegiu[m], lani[i] Piscinenses.* 4421 (ex. Aug. et imp. Tib. aet.), 4: *huic decuria . . . imaginem decreverunt.* 7458 (ineunt. imper. aet.?), 11 sq.: *corpori qui sunt in hac stationem.* 2068 (act. fratr. arv. a. p. C. 91) II, 31 sq.: *collegium . . . cooptarunt.* 1118 (aet. Maximian.), 5 sqq.: *corpus corariorum . . . devoti numini.* 30884^{d} (a. p. C. 333), 2 sqq.: *coll(egium) fore(n)s(ium) . . . acceperunt . . .*, ibid. v. 8: *de suo fecerunt.* 30973, b 1 sqq.: *Hilaro . . . collegium dendrophorum Matris deum . . . quod . . . benignitate meruisset, cui statua ab eis decreta poneretur.* Exemplum incertum: 34026, 4 sqq.: *Restutus frater et collegius bene merenti fecerunt.* Huc refer 19596^{dv}, 1 sqq.: *ita ut post morte Hygiae nemo in hoc sarcofagos ponantur nisi ipsa et maritus suus.* Sed cf. 22847, 4 sq.: *cognatio titulum posuit.*

§ 2. Cum duo subiecta praepositione 'cum' iunguntur, optimis scriptoribus numerus singularis, priscis et inde a Livio posterioribus pluralis numerus usitatus est[3]); in titulis urbanis numerus pluralis praevalet.

V: 29289 (aet. Traian. propter nomen Ulpii?), 2 sqq.: *M. Ulpius . . . cum Ulpia Doride marita sua fecerunt.* 8454, 4 sqq.: *Domitius . . . cum Sallustia . . . coniuge sua fecer(unt).* 33053, 2 sqq.: *soror cum coheredibus posuerunt.* Sed cf. 414^{p} (a. 191) a, 5 sqq.: *Pacatus cum Alexandro . . . adampliavit.* 10971^{dc} (tit. et graece et latine compos.) = Bue. C. L. E. I n. 442, 10 sqq.: *hic iacet . . . Aelia Sabina cum sua nata simul.*

§ 3. Duo subiecta particula 'et' coniuncta numerus singularis verbi sequitur in his exemplis, in quibus qua ratione numerus

---

1) Hoffmann p. 109 sqq.; Pirson p. 161 sqq.

2) Draeger I² § 100 = p. 170 sqq. Schmalz p. 221 = § 24. Ziemer² p. 88. Bonnet p. 499. Riemann² p. 256 sq.

3) Draeger I² § 105 = p. 178 sq. Schmalz p. 219. Ziemer² p. 88 sq. Pirson p. 162 sq. Hoffmann § 26 = p. 110. Bonnet p. 499.

singularis positus sit, iis demonstratur quae verbum primo loco offerunt, id quod etiam usu scriptorum optimorum probatur[1]): 25169, 5 sq.: *fecit Publilia ... et Publilius.* 28882, 11 sq.: *fecit M. Varenus ... et Vibia.* 29127[d] (aet. Traian.?), 2 sqq.: *M. Ulpio ... fecit Coceia Bathylis et Draco filius patri suo b. m.* 34637 (aet. Flav.?), 5 sqq.: *coniugi fe[c]it Flavia Irene et Aurelius Onesimus.* 35501 (aet. Traian.?), 1 sqq.: *D. M. Itali fecit et Cocceia Caliope mater et Ulpius Zosimus aiumno* (sic) *suo.* 36507[v], 1 sqq.: *D. M. hic posita est Behilia Horestina et Philetianus Augustorum berna.* 19683[d], 1 qq.: *D. M. fecit Insteia Tyche mater et T. Fl. Optandus parens filio.* 29884, 4 sqq.: *fecit Innoce(n)ti mater et pat(er) [et fr]atr(i) Dixe, tu [no]bis bibes.* — Verbum singul. num. postpositum est in his tit.: 34271 (sepulcr. libertor. M. Aemil. Lepidi extrem. L ann. lib. rei p.), 1 sqq.: *Eugenes cubucularius, mater et pater posuit sua [a]cerbitate.* 29324†? (aet. Traian.?), 1 sqq.: *D. M. Ulpiae ... Afddisius* (sic) *[c]oniuci et Iuliauria matri ... posuit.* 29408 (aet. Traian.?), 1 sqq.: *Ulpiae ... fecit Marcus ... et Aelia ... filiae.* 16739[c] = Bue. C. L. E. I n. 156, 2 sqq.: *mater et pater ... filio ... donum dedit:* sed verba *et pater* postea addita sunt: (Th. Mommsen). Huc refer.: 13387, 6 sqq.: *heres heredesve potestatem vendendi non habebit.* 414 (a. 191), b 9 sq.: *adsistente Orbio Laetiano sub pr. et Castricio Honorato trib.* Sed in n. 13061[d], 8 sqq.: *huic monumento taberna et aedificium et area maceria circumclusa ... facta sunt, quae heredem non sequetur* (sic) non subesse numerum singularem post subiecta neutrius generis pluralia[2]) contra v. d. Diehlium[3]) contenderim; aut erravit lapicida aut subest formula quasi immobilis *hoc heredem non sequetur.* Huc etiam relatum velim quod in titulo 9994†[d] (a. 521 v. 525), 1 sqq.: *hunc locum Augustus et Gaudiosa se vi(v)us conparaverunt,* aliisque similibus arbitror adiectivi 'sevivus' n. singularem ad praedicatum numeri pluralis sese referre. de qua re cf. § 37.

§ 4. Prorsus confusi sermonis est formula *id est*[4]), apposita ad numerum pluralem e. g.: 9994†[d] (a. 521 et 525), 1 sqq.: *hunc locum ... conparaverunt a presviteris ... id est Petro Crisogono Catello.* 3569[d], 3 sqq.: *herede(s) b. m. fecer(unt), id est Aurel. Aeternalis et Aur. Mucianus milites.* 9626[d], 8 sqq.: *ut diebus so(l)lemnibus sacrificium mi[h]i faciatis id est IIII. id Mart. die natalis mei usque ad XXXV parentalis.*

B. De genere confuso.[5])

De genere in sermone volgari in titulis urbanis permutato cum iam vir doctus Diehlius egerit exemplis collectis et explicatis, nihil restat nisi ut suppleam quae ille omisit.

---

1) Draeger I² p. 176 = § 103. Pirson p. 161 sq.

2) Roensch It. p. 435 Bonnet p. 499 sqq.

3) Diehl p. 75 et add. (in inscriptione C. I. L. X 649, 4 sqq.: *at ne ... ossua ibi adiciatur* vox *ossua* femin. num. sing. esse potest).

4) Bonnet p. 208. 517.

5) Hoffmann p. 111 sq. Pirson p. 154 sqq. Carnoys V p. 350 sq. Goelzer p. 293 sqq. Bonnet p. 503 sqq.

§ 5. Genus masculinum pro neutro.[1])

Monumentus[2]), Diehlius v. d. in C. I. L. VI. quater inveniri ait[3]), sed exstal etiam: 10791, 4: *hunc munimentum*. Simil. *hunc (eum, eundem) monumentum*: 10848, 14; 10921, 1; 11132^{d}, 2; 11953, 2 sq.; 12686^{d}, 3 sq.; 13028^{d}, 5; 13297^{d}, 1 sq.; 13312^{d}, 8 sq.; 13337/38^{d}, 11; 11913, 12; 10243 (a. 110), 18; 15677^{d}, 3; 13363, 7; 17025, 2; 20989, 9; 27977, 6; 28584, 3 sqq.; '*hic monumentus*': 2530, 6; 10959^{d}, 8 sq.; 13319/20^{d}, 3; 14670, 6 sq.; 8931, 11; 19310^{d}, 10; 22208, 8; 30353^{d}, 3.

Cubiculus[4]): apud Diehlium nullum exstat exemplum Romanum. Sed conferas velim 18423^{d}, 1 sqq.: *hic cubiculus cum suo solario pertinet ad monumentum Flaviae.*

Corpus[5]): apud Diehlium non extare dicitur nisi in titulo Dalmatico C. I. L. III 9508 (a. 382), 1 sq.: *hunc corpus* et *alium corpus*. Sed extat etiam Romae: 2160 (litter. aevi posterioris valde evanidis), 1 sq.: *corpus exanimis* (sic). 13319/20^{d}, 4: *extraneus corpus* (a quibusdam auctoribus traditur *extraneum corpus*, sed in eodem titulo exstat v. 3 *hic monimentus*). 9663†^{v}, a. 2. *iacet corpus exanimis,* 12307^{dc} = Bue. C. L. E. II. n. 1050, 4: *corpora semanimes* (traditur *sén animés*; Apian. corr.: *semianimes*; Henzen.: *sine animis*) *corpus inane colunt:* egomet *semanimes* praetulerim ita ut subsit constructio ad sensum relata.

Fatus[6]) apud Diehlium IV habet exempla Romana sed exstat etiam 10127, 5 *fatus suus*; 20182, 6 *fatus m(eus)*; 24227, 2 *fatus*; 25808^{d}, 9 *fatus malus*; C: 4379^{dc} = Bue. C. L. E. I. n. 81 (aet. Tib.), 6: *hoc dedit Fatus mihi:* aetas a v. d. Diehlio non addita est; 6932^{dc} = Bue. C. L. E. I. n. 145 (fort. aet. inde ab Aug. usque ad Antonin. Pium), 4 sq.: *hoc dedit Fatus* (sic) *mihi*; 25703^{dc} = Bue. C. L. E. II. n. 1537, 6: *Fatus meus* sed ibid. v. 7: *crudelia fata*; 27728^{c} = Bue. C. L. E. II. n. 1538, 6: *Fátus meus*; 28523^{c} = Bue. C. L. E. II. n. 1540, 10: *Fatus hoc voluit me(us)*.

Collegius[7]) apud Diehlium bis Romae occurrit: 2060^{p} = 32364 (act. fratr. arval. a. 81) 27 sq. et 39: *collegius* (sic) *fratrum arvalium*, sed exstat etiam ibid. v. 34 et 7281^{d}a (monum. Volusior. a. p. C. 40—60: Th. Mommsen), 2: *colleg(ium) castresem*: propter dubiam m finalis naturam incertum. 9485^{d}, 9 sq.: *collegio iumentariorum qui est in cisiaris Tiburtinis Herculis*; 10231 (act. sepulcr.), 15: *quandiu is collegius steterit*; 10416^{d}, 1:

1) Guericke p. 45 sq. (Petron.). Bonnet p. 508.

2) Carnoys V p. 350. Appel p. 87.

3) Diehl p. 196: VI 3324, 3. 16645, 8 sq. 18079, 10. 22120, 8.

4) Appel p. 85. Diehl p. 196.

5) Appel. p. 99 (*corpus* f.: id. p. 70; *corpusculus* id. p. 90). Roensch coll. p. 130. Bonnet p. 513 (*exanimem corpus*). Anglade p. 26 (*corpo* pro *corpore*, hisp. *cuerpo*).

6) Heraeus p. 42. Appel p. 86. Diehl p. 196 sq.: 4379^{c}, 4 = Bue. I 81; 18086^{c} = Bue. II 1581, 1; 22102^{c} = Bue. I 92, 7; 11592^{c} = Bue. I 146, 2.

7) Diehl p. 197. Appel p. 80. Kuebler p. 173.

hunc collegium; 34026, 4 sqq.: *Restutus frater et collegius bene merenti fecerunt,* 9316, 3: *collegius cursorum.*

Saxus[1]): Diehlius semel affert: C. I. L. X 4431, 3 sq.; contra *saxolus* ex masc. forma *saxus* ortum repperi 33919 (litt. bonis) a = Bue. C. L. E. I. 848, 2: *hic te saxsolus rogat.*

Sepulcrus[2]): Diehlius Romae semel affert: 18758, 7 sq., sed adest etiam 3324 = 32870 add., 3: *hunc monimentum sive sepulchrum*: incertum quia supplere licet 'sive sepulchrum (est)'.

Desunt omnino apud Diehlium: Cepotaphius[3]): 3554, 4: *hunc cepotaphium*; 21020, 10: *cepotafius*; 29928[d], 2 *cepotaphius.*

Constitutus?[4]): 1711[dp] (probab. a. 488), 12 sqq.: *accipere autem secundum constitutum brevem molend[in]arios . . . praecipimus per modium unum nummos III*: nota m finalem.

Jus m.?: 9405[d], 11 sq.: *reliquum omnem ius meum, quod est in hoc monumento .. do.* 19915, 11 sq.: *omnem ius*: nota m finalem!

Aedificius?: 13143[d], 3: *cum a[d]iacentem aedificium circuitum*: nota m finalem!

Nomen m.?: 11137[d], 7 sq.: *haec aedicla alium nomen t(estamenti*: Th. Mommsen) *non sequetur*: subest fort. constructio ad sensum.

Vascellus?: 15308[d], 4: *hunc bascelium*, i. e. fortasse [*v*]*ascel*[*l*]*um*[5]) derivatum de voce 'vas'.

Signus?: 100 (a. 157), 6 sqq.: *signum aereum pantheum d. d. v. l. l. m., dedicatus X. K. Aug.*

Letus: 19007[c] = Bue. C. L. E. I n. 562, 20 sq.: *mortis acerbus . . . letus*: Bue. adnotat *letus* alibi nondum repertum fortasse antiquitus esse servatum collato *fatus* pro *fatum.*

Hypogaeus[6]): 22636, 1: *hunc ypogeum quem fecit.*

Capus[7]) pro 'caput': 29849a (VI. p. C. s.: Rossi; titulus in latere etiam recentior: editor), in latere, 1 sqq.: *Roma capus* (sic) *mundi*. Inde corrigas velim, quod v. d. Meyer-Lübke[8]) formam hispanicam *el cabo* ex forma *caput* littera t abiecta, non ex forma *capo*[9]) (*capum*) defluxisse opinatur comparata forma asturica, similiter ac v. d. Gröber.

---

1) Diehl p. 197. Roensch coll. p. 130.

2) Diehl p. 197. Appel p. 7; 87.

3) Appel p. 85.

4) Appel p. 89: *quoslibet constitutos* acc. pl. Esp. Sagr. 18, 362.

5) Roensch coll. p. 114 (*vascellum*). Appel p. 88 (*vasus*: Petron. Esp. Sagr.).

6) Diehl p. 42. Heräus p. 26 (*hypogaeum* apud Petron.).

7) Anglade p. 27.

8) Grammatik der rom. Sprachen, II § 9 = p. 12 sq. Gröber, Grundriss d. rom. Phil. I. 2. Aufl. (1904—1906) p. 908.

9) Apud Fredegar.: Haag, Die Latinität Fredegars, Erlangen 1893, § 66.

§ 6. Genus neutrum pro masculino[1]).

Buechelerus ad C. L. E. I n. 134 = VI 8012[c], 7: 'hoc titulum, hoc tumulum' sim. plebes maxime Graecula dicebat, contra 'Romani vernaculi plurima ex neutris masculino genere potius enuntiant, ut 'hunc theatrum' et 'hunc prodigium' = Fortunatianus rhet. III 4 = Rh. L. M. ed. Halm (1863) p. 123.

Titulum[2]): Diehlius exemplum Romanum affert sed adsunt: 2346, 8: *hoc titulu(m)*. 9199[c]a = Bue. C. L. E. II n. 1080, 5 sq.: *hoc titulum posuit.* 5154[d] (fort. paulo recentior aet. Tib. et Claud.), 1 sqq.: *Vibius . . . titulum posuit quod iussit et rogavit cum patrona sua poni ita factum est.* C: 8012[dc] = Bue. C. L. E. I n. 134 (paulo post Aug. mort.), 10 sq.: *bene valeat is, qui hoc titulum* (sic) *perlegit meum.* 4825[c] = Bue. C. L. E. II n. 1020 (litteris elegantissimis aet. Aug. extr. et imper. Tib.), 1 sq.: *hoc [ti]tulum ornavit frater Rufus.*

Tumulum[3]): apud Diehlium nullum exstat exemplum nisi Rossianum (Rossi inscr. chr. urb. Rom. I 587 (a. 408), 6: *hoc tumulum fecit*). Accedunt C: 14578[c] = Bue. C. L. E. I n. 502, 5: *ad hoc tumulum.* 24961[dc] = Bue. C. L. E. II n. 1229, 4 sq.: *hoc tibi dat tumulum.*

Clavum?[4]): 10703[d], 5: *super tale clavum quem mi reliquisti*: propter m finalem incertum esse exemplum iam v. d. Diehlius adnotavit, apud quem cetera exempla incerta conferas velim.

Velim haec quoque exempla conferas apud Diehlium[5]):

Torum: 12853[c] = Bue. C. L. E. I n. 548, 3.

Exitum: 15106 (litteris bonis), 9.

Locum[6]): 18866, 3. Rossi l. l. I n. 989 a. 523, 2.

Desunt apud v. d. Diehlium:

victimae ... *quae* ... *voverat* in actis fratr. arval. a. 59 = 2041, 41 sq. et a. 81 = 2059 = 32363 add., 40 sq. comparet pro usitato *victimae . . . quas . . . voverat* (cf. e. g. 2056 (act. fratr. arval. a. 78) = 32263 add., 7 sq.): est fortasse error lapicidae[7]).

Flos[8]) n.: C: 18385[dc] = Bue. C. L. E. II n. 1184 = 34115 add., b 9: *flos . . . novum*, ibid. b 14: *hoc flos est corpus Flaviae*, sed ibid. b 13: *hos flores.* Bue. adnotat: 'flos' neutri generis vide C. L. E. I n. 103, 10 = C. I. L. V 5701, 10: *omne flos*, sim. apud medicos infumos.' cf. Th. Gl. E.

---

1) Ludwig p. 24 sq. (*thesaurum*: Petron.). Guericke p. 46. Bonnet p. 508.

2) Diehl. p. 197: 23629[c] = Bue. C. L. E. I n. 496 (litteris exil. formae recentioris), 6.

3) Diehl p. 197. Bonnet p. 508. Appel p. 106: C. I. L. III (Dalmat.) 2341.

4) Diehl p. 198. Th. Gl. E.: *clavum* πηδάλιον = II 407. *clavum* gubernaculum = V 277, 61. 521, 6. ctt.

5) Diehl p. 197 sq. 6) Bonnet p. 508.

7) sed cf. Ludwig p. 19 sq. (Petron.) *quisquilia* pro *quisquiliae.*

8) Appel p. 44.

s. v. *flos* *ἄνθος* = II 227, 30 ctt. *flos album* *παιδέρως τὸ ἄνθος* = II 392, 7: *flos ipse* (*ipso* cod.) et masc. genere dicuntur et neutro = V 534, 35.

Itum, aditum, ambitum neutra pro masculinis formis *itus, aditus ambitus* quasi termini technici (etiam gromaticis usitati) in inss. sepulcralibus, saepius prorsus ἀσυντάκτως apparent, quae vocabula esse supina Roenschio [1]) non crediderim, sed genere ob terminationem permutato neutra [2]) esse contenderim id quod ipsum auctorem eorum quae de vocibus *aditus, ambitus* exstant in Thesauro Linguae Latinae I p. 694 sq. et p. 1857 sq. videtur fugisse. Clamant exempla, quorum non omnia sed certissima tantum excerpsi, quippe cum in Th. L. L. reliqua reperias: 26355^d, 3 sqq.: *ad hoc sepulchrum itum ambitum omni tempore permissum est* (deest in Th. L. L.). Item desunt in Th. L. L.: 26422^d, 6 sqq.: *item aditum ambitum sacrificandi pascundive causa liceat mihi meisq(ue)*; 29907^d, 1 sqq.: *pertinere deberet* (i. e. fort. *debebit*) *aput liberos eorum aquam uti de taberna et itum ambitum uti prestetur eis*: hic propter accusativum *aquam* etiam *itum, ambitum* accusativi ἀσύντακτοι pro nominativis positi esse possunt; de coniunctione *uti* repetita infra (§ 28a) verba faciam; 21161, 3 sq.: *columbari itum ambit. debetur*; 21445, 6 sqq.: *haec hydria posita est* (sc. 'et') *itum ambitum permissu Flaviae*. Quid? nonne tl. 34124 (cf. n. 19607, 9 sq.): *hui* (sic) *monimentum itum ambitum debetur* sufficit ad sententiam nostram probandam?

Dolor [3]) n.?: 27458, 9 sqq.: *tale dolor experisci* (sic) *quod nos infelicissi(mi) paren(tes) experti sumus*; cf. 34576^d, 3 sqq.: *de qua dolorem hoc solum tulit*.

§ 7. Genus femininum pro neutro numeri pluralis [4]).

Apud Diehlium [5]) velim conferas sebaciaria f.: 3056 (a. 228), 3: *sebaciariam feci*; 3038 (Gord. aet.), 3: *subaciariam tu[t]a fecit*; 3033, 2 sq.: *suaciam* (sic) *fecit*.

Castra f.: apud Diehlium nullum exemplum Romanum, sed repperi 3289, 2 sqq.: *Superimo . . . castr. nova*, ubi *castr(a) nova* non esse accusativum loci (de quo infra agendum erit sub § 41), sed ablativum originis demonstratur titulo 3198^d, 2 sqq.: *Aurelius . . . castris nobis* (i. *novis*), quo accedunt apud Diehlium C. I. L. IX 795, 3 sq. *ex castra nova* aliique [6]).

Desunt apud Diehlium

Ossuaria f.?: 35547, 2 sq.: *in ossuaria magna oll[ae sunt] III.*

---

1) Roensch. It. p. 432.

2) Appel p. 103: *ambitum* Tertull. apol. 26. Guericke p. 46: C. I. L. I 206, 44: *aditum*. Diehl. p. 199 sq.: VI 26355, 4 sq.: *itum, ambitum* inter exempla declinationis permutatae enumerat, non generis permutati.

3) Appel p. 12: *dolus* pro *dolor* e. g. C. I. L. III 1903. Bonnet p. 504: *dolor* f.

4) Carnoys V p. 351: *saxa. gaudia* f. 5) p. 198.

6) Roensch. It. p. 269. 520: ap. Nonium et in Ital. Append. Probi ed. Heraeus (A. L. L. XI p. 301 sqq.) p. 320 sq. n. 136: *vico castrorum non vico castrae*.

Impendia f.: 629^d^, 5: *suā impendiā* sed *impendiis*: 3714 = 31007 add., 3 sq.; 18677, a 5; 29678^d^, 8 et *impensā*: 4679 (monum. Marcellae, extrem. aet. Aug. et imper. Tib.?), 4 sq.; 697^d^, 2 sq.; 3538, 10 sq.

Varia generis permutati exempla velim videas apud Diehlium p. 198 sq., item exempla declinationis mutatae apud Diehlium p. 199 sq.

§ 8. Genus femininum pro masculino.

Cinis[1]) f.: Nonius Marc. 198 M.: 'cinis masculino Vergilius ... feminino aput Caesarem et Catullum et Calvum lectum est'. 8431^d^, 8: *cineres meas*; 2938^c^ = (opt. aet.) = Bue. C. L. E. II n. 1099, 7 sq.: *cinis hic adoperta quiescit*: metri gratia[2]); cinis masc. quinque locis repperi.

Grex[3]) f.: 10072, 9: *gregis ryssatae* (sic) cf. Georges[7]: grex f. apud Lucil. Lucr. Charis. Prisc.

Dies[4]) f.: in actis fratr. arval. a. 87 = 2065 = 32367 add., II 39: *ead(e)m die*. Sim. 2071 (a. inc. Domit.), II 14. 2075 (a. 105) = 32372 add. I 4. Sed in iisdem actis: 2028 (a. 38) = 32344 add., a 8: *hoc die*. Sim. 2099 (a. 183) = 32386 (add.), p. I 5. In ceteris titulis: 17633^d^, 4: *una die obitae sunt*. Metri gratia[5]): C. 29436^dc^ = Bue. C. L. E. II n. 1159, 3: *quos tulit* (i. abstulit) *una dies*, sed ibidem v. 5 sq.: *supremum fáti competiere diem*. 30113^cd^ = Bue. C. L. E. II n. 1262, 4: *quod te festinans apstulit átra dies*, est Vergilianum = Aen. l. VI v. 429 in.: *abstulit atra dies*, sed ibid. v. 5 sq.: *patri date* (sc. di) *lúcos in quis* (i. quibus) *purpureús perpetuusque dies*. 30145^c^ = 36652 add. = Bue. C. L. E. II n. 1649 (infimi aevi), 1 sq.: *(im)matura dies ... (eripu)it iuvenem*.

§ 9. Prorsus genera confusa esse videntur his locis: 16393^d^, 1 sq.: *Cornelia Festa hic situs* (sic) *est: h(ic) s(itus) e(st)*, est formula quasi immobilis facta ad feminam translata. 20679, 2 sqq.: *Iuliae ... magni et rari* (sic) *in omnibus exemplis vitae suae feminae*: genus masculinum *magni et rari* explicatur confusis duabus structuris *Iuliae ... magni et rari in omni vita exempli feminae* et *Iuliae ... magnae et rarae in omnibus exemplis vitae suae feminae*. 35863, 6 sqq.: *Fortunatus uxori karissimi fecit* pro *carissimae* ob adsonantiam terminationum positum. 13383^d^, 9: *Manes tui sante* (i. sanctae): *tui* fortasse est genetivus pronom. person. de quo cf. § 46. 18817, 9 sqq.: *ita peto vos (M)anes sanctissimae ... vellitis* (sic) *huic indulgentissimi esse*: sunt terminationes confusae.

§ 10. Huc referas velim nomina masc. ad feminas pertinentia, quae sodaliciorum quorundam sociae erant a v. d. Schulzio[6]) collecta velut 10281, 8: *Pancrati hic*. 22628^d^, 8: *Innocenti have*, et quae de 'signo' scribens Th. Mommsenus[7]) collegit: 12853^cd^, 1: *Aufidia*

1) Meyer p. 8. 2) Bednara p. 572 sq.
3) Roensch It. p. 269. Appel p. 5. 4) Meyer p. 11 sq.
5) Bednara p. 573. 6) Schulze, gr. et l. p. 9.
7) Th. Mommsen: Sallustius = Salutius und das signum (Hermes 37 p. 443 sqq.) p. 446 adn. 1 et 450.

Severina signo Florenti. 23344, 2 sqq.: *Octaviae Felicitati, signo Leonti . . . Aur. Felicissimus signu Leontius.* 29339 (aet. Traian.?), 1 sqq.: *Ulpia Eutychia Ulp(io) Eutycioni* (sic) *et Mindiae Primillae . . . sig. Bariusti, Paregori.*

§ 11. Restat ut verba faciam de pronomine *qui* formae femininae *quae* vice aetate imperatoria iamiam fungente[1]); habes haec exempla: 9477, 9 sqq.: *quem* (sic) *vice filiae attendo* (i. e. diligo). 12055[d], 5 sqq.: *aeam domum eternam quem comparārunt* ... 19716[d], 1 sqq.: *quem di amaverunt, haec moritur infas annorum III*: cf. Plaut. Bacch. v. 816. 20811, 3 sq.: *ariam quem emi.* 25855[d], 1 sqq.: *Sameramiae* ... *C. Vinedius* ... *quem loco filiae diligo.* 33500, 3 sq.: *olla quem dedit C. Sestius.* C.: 10971[dc] = 34034 add. = Bue. C.L.E. I n. 442, 12 sq.: *cum sua nata simul, fetú quem procreat ipsa*; ibid. v. 16 sq.: *quem genuit, genetrix, secum tenet in lare Ditis.* 15806[c] = Bue. C. L. E. II n. 1090, 4 sqq.: *hic Clodia cara cunctis iustisque piisque est sita et subito tempore rapta abiit quem* (sic) *flet amissam aeterno tempore coniunx*, sed carmen depravatum est ex carmine 7243[c] = Bue. C. L. E. II n. 1089, ubi idem versus exstant, sed nomen *Clytius* et *carus* . . . *situs* . . . *raptus* . . . *quem* . . . *amissum* recte inserta sunt. 9752[c] = Bue. C. L. E. II n. 1555, 4 sq.: *haec certa est domus* . . . *haec est quem* (sic) *mihi suscitavi vivus.* — 9280, 4 sq.: *sibi et Sulpiciae Crysidi* (sic) *qui et Bas(sa) que vixit*: de formula *qui et* v. sub § 18. *Cum quem* pro *cum quam*[2]): 10676, 4 sqq.: *Aelia* . . . *cum quem v. a.* 15488, 4 sq.: *Claudiae* . . . *uxori cum quem vivo.* 18107[d], b 5 sqq.: *Papiriae* ... *coniugi ex quem habui* . . . *filium.* 21117[d], 1 sqq.: *Larciae* . . . *Larcius* . . . *fec(it) con quem vixit.* 25547 = 1293, 3 sq.: *coniugi karissimae cum quem* (sic) *vix.* 25705, 2 sqq.: *Sabidi(a)e* . . . *coiugi* . . . *Rufus coiugi fec(it) cum quem vixit.* 26585, 2 sqq.: *coniugi suae fecit Silvanus cumquen vixit.* 28449, 2 sqq.: *[V]eneri[a]e* . . . *femin(a)e Vettius* . . . *maritus coiugi* . . . *con quem vixit.*

§ 12. Formae *qui* pro *quae* usurpatae simillima esse videtur forma quae ut exemplum afferam subest huic titulo: 7790, 4 sq.: *Folia Ianuaria l(iberta) eius idem coniux.*

In paucis tantum titulis pronomen *idem* vel *isdem*[3]) recte positum est, ut puta. 28881[d], 1 sqq.: *Vibiae* ... *Vibius* ... *l(ibertae) suae eaedem* (i. 'eidem' sc. Vibiae) *coniugi.* 23395[d], 4 sqq.: *Ofillius* ... *collibertae idem coiugi.* 35503, 2 sqq.: *Ituriae* ... *Iturius* ... *patronus libertae* ... *idem coniugi.* isdem: 21325[d], 6 sqq.: *libertae isdem coniugi T. Licinius.* 21401, 6 sqq.: *M. Livius* ... *avo suo isdem patrono.* Ut in his exemplis pronomen *idem* (*isdem*) sane ut ita dicam immobile est atque per se stat sed ad mas-

1) Groeber (A. L. L. V p. 129): 'qui quid cui quem sind die Reste des Relat.- und Interrog.-Pron., die den roman. Sprachen verblieben.' Pirson p. 158 sqq. Carnoys VI p. 353. Diehl p. 19 sq. 198. Bonnet p. 117. 390. 509 sqq. Kuebler p. 173. Roensch. Ital. p. 276.

2) Diehl p. 19 sq. et 198.

3) Formam 'isdem' non esse antiquitus servatam sed analogia casuum obliquorum formatam contra v. d. Neuium et Wagenerum II p. 390 Skutschio auctore contenderim.

culinum subiectum saltem refertur, ita permultis aliis locis forma masculina *idem* (*isdem*) ad feminam relata occurrit[1]): idem: 18032, 7: *mamma idem nutrix.* 18212, 4: *Pothine patr(ono) idem coniug(i).* 7368 (a. 40—60?), 6 sqq.: *patron(o) . . . idem coniugi.* 21458ᵈ, 4 sq.: *filia naturalis idemque liberta.* 23363ᵈ, a 2 sqq.: *Octavia . . . posivit . . . coniugi suo karo idem colliberto.* 23897ᵈ, 4: *Zmyrina patron(o) optimo idem coniugi.* 24445ᵈ, 3 sq.: *Pompeia . . . patrono idem co(n)iugi.* Sim. 7788, 10 sq.: 25377, 8. 27196, 4 sq.: *Cypare l. idem coniux.* 27311, a 2: *idem mater.* 28670, 3 sqq. 32678, 5 sq. 34768, 4 sq. 35806, 1 sqq. isdem: 28375ᵈ, 1 sqq.: *Vaticia . . . patrono suo isdem viro.* 34966ᵈ, 2 sqq.: *Clodia . . . C. Clodio . . . patrono isdem coniugi suo.* Sim.: 14592, 4 sq. 15505ᵈ, 3 sq. 24711, 5 sqq. Huc refer: 7368 (a. 40—60?), 4 sq.: *capsario idem á cubiculo.* 9673ᵈ, 5 sqq.: *negotianti Esquilis, isdem ad statuam Planci.* Alteram explicandi viam demonstrare mihi videntur hi tituli: 24914, 6 sqq.: *Anthusa vernae suo item lib(erto).* 27556, 6 sq.: *item alius pupus Laetianus qui idem fil(ius) bonus et obsequens idem parentibus vixit.* 22819, 3 sq.: *in agro Pauliano idem Petroniano item heredem ab eo factum.* D et t litteras in sermone volgari confundi potuisse in verbis ceteroquin significatione simillimis docetur n. 19683ᶜ = Bue. C. L. E. II n. 1582, 12 sq.: ubi *tunc* pro *dunc* exaratum est, contrario vitio *dunc* pro *tunc* in C. I. L. V suppl. ital. 181 scriptum esse Buechelerus ad h. l. adnotat. Itaque etiamsi formam masculinam *idem* (*isdem*) ex usu genuino velut *Ulpius collibertus idem maritus fecit* receptam et quodammodo immobilem factam esse puto, ita ut etiam ad feminam ut *qui* pro *quae* referri posset, tamen etiam similitudinem adverbii *item* et significatione et adsonantia conspicuam ad genera permiscenda multum valuisse non negaverim.[2])

C. De casibus confusis.[3])

Illis casuum confusorum exemplis sepositis quae praepositionum rectionibus incertis facile explicantur, ut puta 880 (aet. Aug.), 4 sqq.: *pro filiis suis A. Perellium Nymphium* ctt. (de re explicanda vide Diehlium de praepositionibus p. 12 sqq.) restant permulti tituli in quibus

§ 13. Regula appositionis[4]) ab optimis scriptoribus adhibita parum servatur: 9162† (a. 522), 3 sq.: *[c]onsula[tu Summaci et Boeti viris consul]ibus*: litterae uncis inclusae nunc perierunt; vitium ortum est ex contaminatis formulis *consulatu Symmachi et Boethi* et *Symmacho et Boethio . . . consulibus.* Similiter confusis structuris vel verbo omisso nominativus explicari potest in hisce exemplis conspicuus. 6156ᵈ (aet. circ. Claud.?), 1 sqq.: *D. M. Baebiae Amanda* (sic) *nepos dulcissima* (sc. erat) . . . *a[v]ia fecit.* 10052 (fortasse aet. Domit.), 1 sqq.: *vicit Scorpus* (scil. auriga)

1) Bonnet p. 384: *idemque persona.*

2) Cf. de adverbiis *ast* et *at* quae cum forma similia essent, etiam significatione aequabantur et de similibus permutationibus in universum Skutsch (Jb. f. kl. f. Ph. Sbd. XXVII p. 89 adnot. 1).

3) Pirson p. 165 sqq. Hoffmann p. 111. Carnoys VI p. 351 sqq.

4) Pirson p. 163. 165. Bonnet p. 524 sqq. 531 sq. Carnoys VI p. 351: *regnante serenissimo Veremundu rex* = Inscr. Hisp. Chr. 135 (a. 584).

equis his: Pegasus Elates, Andraemo Cotynus. Sed recte 10053 = 33937 add., 3 sqq.: *vicit ... Pegaso ... Eutono* ctt. 2139[d] (a. 286), 1 sqq.: *Coeliae Claudianae v. V. maximae a diis electa* (sic) *merito.* 3283, 4 sqq.: *curantae* (sic) *[F]rontinio Frontone eres ipsius.* 9927[d], 1 sqq.: *Iulia ... Lucilio ... digno feci, omnium hominum sodalicii magister et hortator.* — 27112[d], 1 sqq.: *Dis Manibus Tarquitiae Cales coniugi carissimae L. Iulius Philon fecit*: explicatur structurâ formulae *Dis Manibus*, de qua iam accuratiora proferemus.

§ 14. Formula *Dis Manibus*[1]) proprie genetivum poscit sed paulatim quasi immobilis facta et *ἀσυντάκτως* usurpata est, ita ut etiam dativus vel nominativus sequi possit, cuius idiotismi cum in omnibus Corporis voluminibus perspicuus sit, exempla omnia enumerare supervacaneum existimo; sufficiat conferre: 15131[d], 1 sq.: *Dis Manibus Ti Claudio Ti. f. Pal. Iuliani.* 15159, 1 sqq.: *D(is) M(anibus) Ti. Claudio Niceroti.*

§ 15. Separatim tractandos esse censeo titulos militum in quibus semper fere patria vel origo militis formula *natione* vel *natus*, *Thrax, Bessus* ctt. vel simili ratione indicatur idque nominativo casu quamquam secundum casum praecedentem genetivus vel dativus potius ponendi erant, ut puta: 2544, 1 sqq.: *D. M. Pletorio ... oriundus ex pr(o)vincia Panno(nia) inferiore.* 2669[d], 1 sqq.: *M. Aur. Hermiati ... bene merenti natus patr(ia) M(a)eonia.* 2736, 1 sqq.: *D. M. s. Aur. Mucconi ... digno merenti marito Gratilla fecit virginia sua* (i. 'eius') *natione Mesacus* (sic i. Moesiacus) *civis Meletinus.* Simil.: 2785, 2 sq. 2933, 3 sqq. 3094, 1 sqq. 3096, 2 sqq. 3103, 1 sqq. 3105[d], 1 sqq. 3107, 2 sqq. 3113, 2 sqq. 3114[d], 2 sqq. 3121, 2 sqq. 3123, 2 sqq. 3128, 2 sqq. 3129[d], 2 sqq. 3133[d], 2 sqq. 3136, 2 sqq. 3141[d], 2 sqq. 3142[d], 1 sqq. 3156/57, 2 sqq. 3163, 2 sqq. 3171, 1 sqq. 3177, 2 sqq. 3184[d], 2 sqq. 3190, 2 sqq. 3191, 2 sqq. 3197[d], 2 sqq. 3199, 2 sqq. 3200, 2 sqq. 3203, 2 sqq. 3205, 2 sqq. 3206, 1 sqq. 3208, 2 sqq. 3211[d], 2 sqq. 3218[d], 2 sqq. 3219, 2 sqq. 3220, 2 sqq. 3223, 2 sqq. 3227, 2 sqq. 3232, 2 sqq. 3234, 2 sqq. 3247[d], 2 sqq. 3250, 2 sqq. 3253, 2 sqq. 3277[d], 2 sqq. 3288, 2 sqq. 3293, 1 sqq. 3303[d], 1 sqq. 3304, 2 sqq. 3308[d], 2 sqq. 3430, 2 sqq. 3447[d], 2 sqq. 10063[d], 2 sqq. 10177[d], 1 sqq. 10184[d], 2 sqq. 13352, 1 sqq. 13820, 1 sqq. 17448, 2 sq. 18066[d], 1 sq. 32800, 2 sqq. 32802, 2 sqq. 32827, 2 sqq. Huc refer 3910, 1 sqq.: *Flavio ... medicus duplic(arius).* 10058[d], 2 sqq.: *patri ... Aurelius ... hoc donum vovit natione Afri.* — Hanc proprietatem usitatissimam — nam rectus casus in titulis militaribus huiusce formae vicies fere tantum ocurrit — utrum soli neglegentiae sermonis plebei attribuere an formula *natione Thrax* ex laterculis militum *ἀσυντάκτως* in titulos recepta interpretari debeamus in incerto est.

§ 16. Cetera casuum non congruentium exempla[2]) haec sunt: 5488 (ineunt. imper. aet.), 1 sqq.: *D. M. Valeria Philaenis et Valerio Prothymo patrono eius p(osuit) coniu(gi) Primigenius*: sunt duae structurae

---

1) Pirson p. 167 sq. 2) cf. etiam Diehl p. 204 sqq.

confusae quas facile perspicis: *Valeria . . . et Valerius . . . siti sunt* et *Valeriae . . . et Valerio . . . p(osuit)*. 5679, 1 qq.: *Felix Agrippaes cubicularius et Chiae coiugi eius ollas II*: cf. supra; de accusativo *ollas* v. sub § 31. 9035 (fort. aet. Flavior. propter nomen Flavii), 9 sq.: *idemque supstituit Sextiam Chrysidem coniugem suam [et Sextiae Epitense]x* (sic) *cognatae eius et libertis*: litterae uncis inclusae iam non exstant, de structura vid. supr. 26005, 1 sqq.: *D. M. sorores Scaurianae et Restitutae fec(erunt) C. Aurelius . . . et Aurelia . . . vernis suis*: fortasse *sorores* pro dativo I. declin. habebatur. 29241d (aet. Traian.?), 1 sqq.: *D. M. M. Ulpi Mithres et Aufidiae Zmyrnae eius clientibus*: cf. § 14. 10458, 5 sqq.: *ube* (sic) *posta est Abucciae vernae nostrae bene merenti Fortunatae*: vid. supr. 15895d, 1 sqq.: *Dis Manibus M. Cocceio Epaphrodito et Coccei a Nice Ulpia Charis parentibus suis kar. fecit*: potest esse neglegentia quadratarii. 17286d, 1 sqq.: *D. M. Erucciae Grapteni et patrono eius M. Eruccio . . . et filiorum eius.* 18418 (aet. Flavior.?), 1 sqq.: *Flaviae . . . et Fl. Proclo et Fl. Dinias* (sic) *filis suis*: error quadrat. 28778, 2 sqq.: *L. Vibius Alcimu(s) quem sequentur post me L. Cordium Euporum et Cordia*: accusativus *Cordium E.* formatus est secundum formam priorem *me*. Satis confuse scriptum est 10412 (litter. s. II ex.), 1 sqq.: *monumentum Valeri . . . et Iuliani et Quintilies Verecundes, libertis libertabusque posterisque eorum at religionem pertinentes meam hoc amplius in circuitum circa monumentum lati longi per pedes binos quod pertinet at ipsum monument(um)*. 11429, 3 sqq.: *Genio et Dis Manes* (sic): (estne dativus II. decl.)? 13966d, 2 sq.: *sibi et Aurelia* (sic: Bianchi) *Secundae*: error. quadr.; item 17561, 1 sqq.: *Fabius . . . Corana* (sic) *Rufae uxori suae*; 21286d, 7 sqq.: *qui locus emptus est longum p. VI latum p. IIII*: accusativi *longum latum* orti sunt ex consuetudine mensurae monumenti ita describendae *monumentum longum pedes — latum pedes —*. 25381d, 1 sqq.: *D. Ravius . . . sibi et D. Ravio . . . et Ti. Iuli Callidromus* (sic) *et lib.* — 28108, 2 et 4 sq.: *sibi et suos* (sic). 28587, 2 sqq.: *M. Verginius . . . Verginia Irene . . . fecit et sibi locum adsignatus ab M. Verginio. Verginia* error quadrat.; ad nominativ. *adsignatus* supple *est* scil. locus. 29855, 1 sqq.: *Dis Manes sacrum*: fortasse tit. fictus cf. Corpus p. 3734 (add.) 30523d (fragm. omnino corrupt.), 1: *Orestes et Fulvio Valente consulibus.* 36172, 3 sq.: *sibi et libertis et libertas* (sic).

Varia exempla vid. apud Diehlium p. 207 sq.: 725 (a. 181), 2 sq.: *voverat invictum deum.* 7652 (Ner. aet.), 1: *huic loco* i. hunc locum. 28052dv, 7: *filios nostris fuit* casus vid. esse nominativus. 22647 (fragm.), 4 sq.: *bimus et quator mesorus*: s finalis formae *mesorus* scripturâ quae dicitur inversâ scripta est pro m finali obmutescente. In act. fratr. arval.[1]) Corp. p. 550 (a. 213), 7 sq.: *praesedente ad creta Aelio Coerano victores palmas et coronas argenteas honoraverunt* pro *palmis et coronis argenteis.*

§ 17. Margine urgente hosce errores explicare licet: 6114 (exeunt. aet. lib. reipubl. et imp. August.), 1 sqq.: *M. Pontio* (Gaiae) *l. Apela* (sic) *ossari monenti fecit sibi et fratri suo M. Pontio* (Gaiae) *l. Heraclida* / (sic). 26863, 7 sq.: *et Florae verna* / (sic) *suae.* 27560, 4 sq.: *feceru(n)t filia* /

---

1) Diehl p. 31.

(sic, pro *-ae*) *dulcissime* (pro *-ae*) et praeter hos tl. permulti alii hoc modo explicari possunt, quos enumerare supersedeo. Similiter in tl. gallicis sat multi errores marginis vicinia explicari possunt (velut XII 865. Kbl. 1898. coll. 147 ctt.) id quod fugit v. d. Pirsonem.[1])

§ 18. Ultimo loco loquar de formula qui et[2]) qua ad cognomen aliquod alterum additur; quae si verbum *vocatur* vel sim. supplemus bonum sensum praebet et rectissime usurpata videtur esse in his titulis: 15159, 2sqq.: *Ti. Claudio Niceroti qui et Asiaticus.* 18306, 2sq.: *Flaviae Carae quae et Ianuaria.* 19011^{d}, 1sqq.: *D. M. Geminiae Trophimes quae et Turpilia.* 20942^{d}, 2sq.: *P. Iuventio Herodi qui et Munnas.* 28710^{d}, 7sq.: *Vitalio qui et Babbius.* 25444^{d}, 5sq.: *Eutychiae que* (sic) *et Gatis.* — 19683^{cd} = Bue. C. L. E. II n. 1582, 5sqq.: *fuit hic ... speciosus qui et Astomachetus.* — 9280†?, 4: *Crysidi* (sic) *qui et Bassa*: cf. § 11. — Sed in titulis haud ita paucis formulam *qui et* quasi immobilem et monoptoton factam non nominativum sed obliquum casum congruentem cum casu cognominis prioris praecedere videmus, ut puta: 17857, 2sq.: *Felici vernae qui et Tripeccio.* 18386, 2sqq.: *Octaviae quae et Lucretiae.* 21279^{d}, 11sqq.: *Venera fecit liberto bene merenti fec(it) qui et dulcissimo et nutritori filiorum eoru quam quod et alumnor meoru(m).* 27428, 2sq.: *P. Timini P. f. qui Paconi.* 17540^{c} = Bue. C. L. E. I n. 211, in sermone pedestri, 3sqq.: *Ianuario qui et Derisori.* — In titulis: 17398^{d}, 2: *Euthymo cui et Lupo.* 2935, 1sqq.: *D. M. Ianuario cui et Costantio, servo* locutio *cui et* utrum formula *qui et* pro articulo[3]) usurpata et declinata an structura notissima *cui et* (*cognomen est*) *Lupo* explicanda sit incertum esse censeo.[4])

Caput II.

De syntaxi casuum.

A. De nominativo.

§ 19. Iis titulis seclusis de quibus supra ut congruentiam casuum exponerem disserui restant perpauca commemorabilia, quorum mihi exemplum nominativi absoluti et posterioribus imperatorum temporibus in sermone volgari et in linguis quae

---

1) Pirson p. 165sq.

2) Roensch, It. p. 443. Bonnet p. 302: Greg. T. h. F. 1, 8 p. 38, 4. Iobab ʿqui et Iob.' R. Foerster, Die Casusangleichung des Relativ-Pron. im Lat. (Jb. f. kl. Phil. 27 Sbd.) (1902) p. 170sqq. W. Larfeld, Handb. d. griech. Epigraphik. Bd. II. Attische Inschrift. (Lpz. 1902) p. 849: III^{1}. 1172 (+ a. 197 — 207 p. C:), 16 sq. *M. Ἰούλ] Ἀσκληπιάδη[ς] ὁ καὶ [Εὐ]ϱϱτίδας*: titulus hominis Romani.

3) Roensch It. p. 443: Luc. 7, 32 infantibus qui (*τοῖς*) in foro sedentibus et adloquentibus. 4) R. Foerster, op. laud. p. 173 et adnot. 3.

vocantur Romanensibus fusius vagantis[1]) satis certum praebere videtur tl. 414a (anni 191), v. 8: *sacerdotib(us) Sopatrus et Marin(us) et Calus*. Commemorabiles etiam hi duo sunt tituli: 9141[d], 5 sq.: *de qua doluit nihil nisi mors eius* (i. 'es schmerzte'). 15126[d], 4 sq.: *de quo nihil dolui nisi mors*: nominativus *mors* ex genuina locutione tituli antecedentis inepte receptus est. Facile est interpretari nominativum in hisce inscriptionibus: 5395 (ineunt. imp. aet.), 1 sq.: *Cornelia Faustilla olla I*; aut enim *ἀσύντακτος* est: *Cornelia Faustilla (hic sita est)*; *olla I* aut supplendum *olla(m) I* et est accusativus, de quo infra agendum erit sub § 31. cf. 5396 (eiusd. aet.), 1 sqq.: *Cornelia Faustilla ollas II*. 6629 (aet. Claud. vel Ner.), 1 sqq.: *olla Cemella vixi[t] annos XVI olla p(edes) L*. 10137, 1 sqq.: *ossa Iconium l(iberta) psaltria*.

B. De genetivo[2]).

§ 20. Genetivus adiectivis relationis accommodatus[3]) in optimo dicendi genere non fere nisi apud adiectiva quae notus ille versus complectitur 'begierig, kundig, eingedenk, teilhaftig, mächtig, voll' ponebatur sed posterioribus temporibus 'il prit, sous l'influence de l'imitation grecque, une extension et une liberté inconnues de l'ancienne langue'[4]), id quod ex nostris quoque titulis intellegimus: eruditus[5]): 10127, 3 sq. *emboliaria artis omnium erodita*; dignus[6]): 20618[d], 1 sqq. *D. M. Iuliae ... memoriae optimae dignissima Iulius*: titulo apposita est Graeca translatio: v. 6 sqq. *Ιουλια ... ἀριστης μνημης ... Ιουλιος* = Kaibel I. Gr. It. 1706. 23548[c] = Bue. C. L. E. II n. 1002, 5: *nos tibi digna tuae monumenta extrema favillae fecimus*.

C. Tristis: 19007[c] = Bue. C. L. E. I n. 562, 16: *tristis et ipsa meae mortis*: Bue.: 'insolenter *tristis* hic nominis ducit genetivum ut contraria apud poetas *laetus*[7]) *felix*[8]) ctt.' nitidus; speciosus: 19683[cd] = Bue. C. L. E. II n. 1582, 5 sqq.: *fuit hic vitae nitidus, culto decoratus, formae speci-*

---

1) Wölfflin (A. L. L. IX p. 45 sq. XIII p. 278). Schmalz p. 259 adnot. 3. Bonnet p. 465 sqq. Anglade p. 58: *ingressi in ecclesia dicuntur ymni*.

2) Pirson p. 175 sqq. Hoffmann p. 122 sqq.

3) Schmalz p. 238 sqq. A. Haustein, de genetivi adiectivis accommodati in lingua Latina usu diss., Halis Saxonum 1882. O. Erdmann, Über den Gebrauch der lat. Adject. mit dem Genetiv, G.-Progr. Stendal 1879.

4) Brenous p. 125.

5) Haustein p. 49 (aet. Cicer. et Aug.). Pirson p. 179 sq.: VIII 8500: *utriusque linguae perfecte eruditus*. Kuebler p. 161 sqq. Goelzer p. 321.

6) Erdmann p. 13. Brenous p. 138, adn. 4. Goelzer p. 321. Guericke p. 152. Roensch, It. p. 412 sq. (dignus c. acc. dat. genet.) = coll. p. 108.

7) Brenous p. 127: laeta laborum = Enn. XI, 73. Haustein p. 66 (Sall. Verg. Vell. Sil. Tac. ctt.).

8) Brenous p. 127. Haustein p. 43 (aet. Cicer. et Aug.). Pirson p. 179 sq. (e. g. felices operum = Verg. g. I 277).

osus qui et Astomachetus: *vitae nitidus* fortasse sensu locali, *formae speciosus* ut 'pulcher'[1]) vel 'praecipuus'[1]) vel 'praeclarus'[1]) e. g. Stat. Theb. VII 340: praeclarum formae Narcissum. intrepidus[2]); immetuens: 30120^{dc} = Bue. C. L. E. II 1641 (fragm.) 1 sqq.: *diis fretus vitae intrepidus mei . . . fatorum inmetuens rerumque . . .*: *intrepidus* similiter atque 'integer'[3]), *immetuens* ut 'securus'[4]), cetera obscura.

ornatus[5]): 28753^{c} = Bue. C. L. E. I 108, 5: *rerum bonarum fuit haec ornata suis*: Bue: 'ornatrix debuit scribi aut ornatu; structura formata analogia adiectivi 'refertus' ctt.' Insolenter 19008^{cd} = Bue. C. L. E. II n. 1571, 4 sq. *nunc mortis iuncti iacent qui vixerunt una*: Henzenio in archetypo versus talis fere videtur fuisse *at nunc morte iacet iunctus qui vixerat una*; mea quidem sententia *mortis* fortasse nihil est nisi scriptura inversa pro *morte*. — Exempla genetivi *annorum natus* v. sub genetivo qualitatis (§ 22).

§ 21. Verba cum genetivo obiectivo singulariter structa habes haec: abesse: 12133 (litter. bonis) 11 sq.: *huius monu(menti) dolus mal(us) abesto*. potiri[6]): 9499^{c} = Bue C. L. E. II n. 959 = C. I. L. I 1011 (aet. Sullae: Bue.), b 12 sqq.: *septem me naatam annorum gremio ipse recepit, XXXX annos nata necis potior* (id est in potestatem mortis venio, simil. C. I. L. I 1011 *necis potior*). dolere (doleri)[7]): 26680^{cd} = Bue. C. L. E. II n. 1173 (ex Metell. et Ligor., suspectum, = 2769*) 4: *quis non exempli doleatur mortis acerbae*: Bue.: '*doleatur* formatum constructumque similiter ac 'misereatur'. 27814^{c} = Bue. C. L. E. II n. 1474, 4 sq.: *ni* (sic) *doleat nostri conditus officio*. 11252^{c} = Bue. C. L. E. II n. 1567, 14: *ne doleas mei quod praecessi*: Bue.: *mei* de 'me' sive genetivus est (analogon 'misereri') sive dativus quem Nigidius ita scribi iussit (Gell. XIII 26) coll. C. L. E. II n. 1539, 5 = C. I. L. V suppl. Ital. 1305: *noli doleri mater aetati meae* et C. I. L. VIII 5001: *scriptor casui dole*. 36202^{dc} (fragm.) = Bue. C. L. E. II n. 1545, 4 sq.: [*quod fletu*]: suppl. (Bue.) *mortis doleor Primi mihi caro*. Miserere: 25703^{cd} = Bue. C. L. E. II n. 1537, 8 sq.: *hoc lecto elogio iuvenes miserete iacentis et dic discedens* (cf. Bue. C. L. E. 1212, 13 et supra). Saeviri?: 7872^{c} = Bue. C. L. E. II n. 971, 11: *crudelis Pluton nimio saevite rapinae*: Bue.: '*saeviri* novum'. Genetivum Buechelerus non ex *nimio* sed ex verbo *saevite* ut 'cumulatus scelerum, expertus belli, ardens caedis (adde 'satiatus')' pendere vult; Henzenius emendavit *nimi*[*a*] *saevite rapin*[*a*], quem ego sequor.

§ 22. Genetivum qualitatis[8]) optima litterarum Latinarum aetate eodem fere munere atque ablativum functum posterioribus

---

1) Haustein p. 78 sq. pulcher (Sil.) praecipuus (Tac. Apul.) praeclarus (Tac. Stat.). 2) Haustein p. 73 (Claudian.).

3) Brenous p. 128 (Ovid.).

4) Haustein p. 56 (Verg. Hor. Ovid. ctt.).

5) Haustein p. 69 (Palladius de insit. V 1: ornatus fidei).

6) in vetusto sermone usitatum, cf. Langen, A. L. L. III p. 336.

7) Pirson p. 181 (dolere, gaudere).

8) Edwards-Wölfflin (A. L. L. XI p. 197 sqq., 469 sqq.). Schmalz p. 236. Pirson p. 175 sqq. Hoffmann p. 122. Bonnet p. 548 sqq. Goelzer p. 318 sq.

temporibus magis magisque ita pullulasse notum est ut postremo omnino ablativi qualitatis vices adsumpserit; hoc loco de duobus exemplis eius disserere mihi propositum est, in quibus quin idiotismus insit neminem dubitare puto, dico *annorum* et *iuris*.

a) Formula *annorum* ad aetatem alicuius indicandam per brachylogiam usurpata est ut nomen ad quod referatur, desit[1]), ut puta: 3566 = 7541 (fort. a. fere 109: Melch. et Visc.), 5 sq.: *huc relict(us) annor(um) IV.* 3604, 6 sq,: *quam nupsi annor(um) XII mesum XI dierum XIIII.* 29324† (aet. Traian.? Rossi: fort. christ.), 1 sqq.: *D. M. Ulpiae . . . Afddisius (sic) . . . posuit nupsit an(norum) XII dierum XXX vixit XXVIII men. VIII dier. XXVIII orarum (sic) XII.* 28151[d], 5 sq.: *ex provincia Baetica annorum* (tot). 28668, a 3 sq.: *fili piissimi reliquiae annorum* (tot) *consecratae.* 7969[d]† (a. 378), a 1 sqq.: *hic requiescunt in pace Hereneus v̄c̄ et Albinus c̄l̄. p. cuius depositio s̄d̄. id. Octubr̄. indict. V. annorum p̄l̄m̄ XII.* 9663, a 4 sq : *Onesimus viae Appiae multorum annorum negotia(n)s* (sic): exemplum imprimis notabile genetivi qualitatis liberi. Cum verbis moriendi, ut 'obiit decessit mortuus est' genetivus qualitatis *annorum* (tot) saepissime coniunctus est[2]), e. g.: 9245, 3 *decessit annor(um) L.* 21342, 5 sqq.: *defuncto annorum XXXX.* 27813[d], 6 sq.: *mater eius decessit annorum triginta.* 30371[d] (fragm.) fr. 1, 2 sq.: *de(fu)nc(t)a est annorum XV.* 34787[d], 3 *decessit annorum XX,* simil. — Ex locutione *fuit annorum* (tot) contaminatis structuris genetivum puto ortum esse in dictione *natus annorum*[3]) pro solita *annos natus* usurpata, quam ipsam quoque contaminatis structuris *natus ante annos* (tot) et *vixit annos* (tot) ortam esse e Skutschi coniectura contenderim; structuram *annorum natus* in hisce exemplis repperi, ex quibus et aetate et structura maxime memorabile est carmen 9499[c] = C. I. L. I 1011[c] = Bue. C. L. E. II n. 959 (Bue.: litteratura Acci poetae disciplinam arguit et quo Sulla decessit tempus), b 12 sqq.: *septem me naatam annorum gremio ipse recepit, XXXX annos nata necis potior:*[4]). Hausteinio[5]) varia adiectivi *natus* structura in uno eodemque titulo linguae volgaris licentiae admonere videtur, sed mea quidem sententia metri gratia effecta est. 6443 (a. p. C. circ. 44) 2 sq.: *annorum natus fuit VII.* 9289[d], 6 sq.: *mortuus est annorum natu(s?) XX.* 26165[d], 4: *annorum natus decessit VIIII.* 28228[c] = Bue. C. L. E. II n. 1054, in sermone soluto, 2 sq.: *XII annorum nata Romam veni.* Huius genetivi locum etiam adiectivum obtinere potest, ut puta: 19102[d], b 3 sqq.: *decessit bima et dierum* (tot). 34972[d], 1 sqq.: *Cluienus . . . anniculus et mensiu(m) novem hic sepult(us) e(st).* 22647 (fragm.), 3 sqq.: *Amandus bimus et quator mesorus:*

---

1) Draeger I² p. 463 = § 200. Pirson p. 177. Goelzer p. 319.

2) Pirson p. 178 cl. Iustin. 9, 8: *decessit Philippus XL et VII annorum.*

3) Marini Arv. p. 564 apud Bue. C. L. E. I n. 85: 'formula *annos* vel *annorum natus* Scipionum temporibus perquam usitata'; Bue.: 'postea satis insolita erat'. Cf. C. I. L. I 36: *annoru gnatus sedecim.* Brenous p. 96. Pirson p. 177 sqq.

4) Brenous p. 137 adnot. 2. 5) p. 78.

i. e. mensorum; est s finalis pro m finali obmutescente cf. p. 16. 35126[c], 7 sq.: *annuclus mensum septem carui spiritum.* Sed structuris contaminatis genetivus *annorum* (tot) *mensium* (tot) *dierum* (tot) *horarum* (tot) etiam in formulam in inscriptionibus sepulcralibus usitatissimam *vixit annis* (tot) *mensibus* (tot) *diebus* (tot) *horis* (tot) vel *vixit annos* (tot) *menses* (tot) *dies* (tot) *horas* (tot), de qua infra accuratius agendum erit (§ 43), hic illic inrepsit [1]). Locutionis *vixit annorum* habes haec exempla: 29324[d] †?, 5 sqq.: *vixit* (sc. ann.) *XXVIII men. VIII dier XXVIII orarum* (sic) *XII.* 30118[dc] = Bue. C. L. E. II n, 1541, 4 sq.: *annorum VIIII vixi.* Alia huius idiotismi exempla vide in § 43.[2])

Econtra accusativus spatii temporalis e verbis *vixit annos* (tot) *menses* (tot) *dies* (tot) vel *annos natus* translatus est in genetivi locum: 25444, 7 sq.: *que fuit anor.* (sic) (tot) *mes.* (tot) *dies* (sic) *IIII.* 17890, 5 sqq.: *decessita* (sic) *annos* (tot) *mesibus* (tot). 35773, 2 sqq.: *hic iacet . . . Mamertinus annoru(m) XVIII m III die XIII. horas VI.* 29609[c] = 34191 = Bue. C. L. E. II n. 974 (versib. pessimis), 1 sqq.: *invida sors fati rapuisti Utilem* (nunc correctum in 'Vitalem') *sanctam puellam bis quinos annos.* 20266, 1 sq.: *C. Iulius Serapio annos XIIV.* Genetivus cum ablativo qualitatis permixtus est in hisce titulis: 10458, 8 sq.: *Fortunatae annorum* (tot) *dieb.* (tot). 12887[d], 2 sqq.: *Avidio . . . annoru* (tot) *m.* (tot) *diebus* (tot).

b) Transeamus nunc ad formulam iuris alicuius [3]), quam habes in his exemplis: 5181 (aet. Tib.), 1 sqq.: *Donati . . . ollae n̄. XXXVI propriae iuris eius.* 4940 (aet. Tiber. vel Claud.) 4 sq.: *quod fuit iuris L. Virasi.* 2963[d], 6 sq.: *monumentum iuris sui.* 9035 (aet. Flav.?), 10 et 9035 a (aet. Flav.?), 8 sq.: *eorum quorum iuris est dandi.* 5783, 3 sq.: *quod iúris eius fuerat.* 8930[d] = 33754 a add., 13 sq.: *item iuris sit P. Aeli Aug. lib(erti) . . . rel(l)iquias ponendas.* 9135, 5 *quod fuit iuris M. Herenni.* 26635[d], 4 sq.: *quae sui iuris est.* 10248, 7 sq.: *quae iuris sui esset.*

§ 23. Genetivus comparativus [4]) graeco more pro 'quam' vel ablativo positus est: 4912 (aet. Tib. vel Claud.), 1 sq.: *Caelia C. l. quae fuit caeli melior.* 29580 †?, 2 sqq.: *coniugi . . . cuius praeclarius nihil fuisse certus* (sc. sum). 21279[d], b 4 sqq.: *vixit annis plus minus annoru(m) ciquaginta mesibus tribus diebus viginti.*

---

1) Pirson p. 178 sq.

2) Liceat mihi ad sententiam meam demonstrandam schema quoddam describere:

1. vixit annos (tot),
2. ? natus ante annos (tot),
3. = 1 + 2 natus annos (tot),
4. fuit annorum (tot),
5. = 3 + 4 natus annorum (tot),
6. = 1 + 4 vixit annorum (tot).

3) Schmalz p. 443.

4) Woelfflin (A. L. L. VII p. 120, IX p. 99). Brenous p. 140. Schmalz p. 253 adnot. 1. Schulze, gr. et l., p. 14. Roensch, It. p. 435; coll. p. 173. Apud Lucif. Calarit.: Hartel (A. L. L. III p. 44). Bonnet p. 552.

Praecipue dignus qui afferatur genetivus gerundivi finalis est qui in act. fratr. arval. inde ab a. p. C. 87 usque ad a. 218 hic illic cum dativo finali confusus reperitur; de quo vide infra § 73.

C. De dativo[1]).

§ 24. Primo loco verba faciam de dativo *praetorio* quodammodo immobili facto in his titulis: 1690ᵖ (a. f. 340), 21: *perfuncto officio praefecturae praetorio.* 1691ᵖ (a. f. 340), 17 sq.: *perfuncto officio praef. praetorio.* Sim. *urbi*: 32004† (a. 359), 1: *in ipsa praefectura urbi neofitus iit da deum*, quem usum ortum esse puto ex forma notissima *praefectus praetorio*; cf. 1698ᵖ (a. 377), 2 sqq.: *Symmacho . . . praefecto urbi consuli pro praefectis praetorio.*

§ 25. Dativus cum verbis coniungitur[2]):

inferre[3]) sexagies ter dativum merum ducit, octies tantum praepositionem 'in', de qua cf. Diehlium p. 72 sq.

molestari[4]) fortasse ex analogio verbi 'nocere': 13927ᵈ, 6 sq.: *ne velis tribus sepulchris molestari.* 29579ᵈ, 1 sqq.: D(is) Ma(nibus) *molestari noli, sic tuis non molestetur alter.* 36631ᶜᵈ (fragm.), 2: *tribus sepulchris molestari.* Sed cf. 14159ᵈ, 7: *si quis positis corporibus eos molestatus fuerit.*

laedere: cf. 'nocere, obesse' ctt: 29951, 6: *(ita) sit t(ibi) t(erra) levis ut tu huic nihil laeseris.*

dolere?[5]): cf. p. 19, § 21.

ius habens: 26584, 5 sq.: *ius habens hui* (sic) *monimento.* Neque vero recte Diehlius existimat etiam verbum sequendi dativum secum habere in hoc exemplo: 32267, 8 sq. *hoc monumentum sequetur libertos libertasque posterisque eorum*: nam errorem ex duarum structurarum confusione ortum esse ipse (p. 203) vidit.

Dativum auctoris[6]) pro praepositione 'ab' habes: 944ᵖᵈ (a. 81, in arcu in circo maximo), 5 sqq: *urbem Hierusolymam omnibus ante se ducibus regibus gentibus aut frustra petitam aut omnino intemptatam delevit*: est sermo poeticus sive graecissans. Simil. 19007ᶜ = Bue. C. L. E. I n. 562, 5: *sum cunctis semper amata.* — Huc relatum velim 34697, 4 *munimentum ru. t. nae* (sic i. ruinae!) *conlapsum*: erravit lapic.

De dativo finali gerundivi in act. fratr. arv. conspicuo velim videas § 73.

1) Pirson p. 173 sqq. Hoffmann p. 120 sqq. 2) Diehl p. 203.

3) Hoffmann p. 121. Apud Livium: Riemann² p. 266.

4) Roensch coll. p. 108 Graeci sermonis esse imitationem putat. Cf. Th. Gl. E.: *molestaris* ἐνοχλεῖς = III 410, 51.

5) Apud Lucif. Calar.: Hartel (A. L. L. III p. 45).

6) Draeger I² p. 427 sq. Schmalz p. 246. Norden ad Verg. Aen. VI, 770. Bonnet p. 547 sq. Roensch It. p. 436 sq. coll. p. 58. Brenous p. 154.

D. De accusativo[1]).

§ 26. Figuram quam vocant etymologicam[2]) omnibus linguae latinae temporibus acceptam repperi his locis: 15233[d], 7[3]): *vita(m) dum vives, vive.* 26926[dc] = 34175 add. = Bue. C. L. E. I n. 461, 6 sqq.: *cum quo concordem* (*-iam*: Fabrett. aliique) *vitam multosque per annos vixit.* 9927†[v], 3 sq.: *semper bona vita bixi.* — Graecam imitationem aperte praebent hi tituli: 17505[c] = Bue. C. L. E. I n. 215, 11 sq.: *his parce tumulis ingredi pedem saepe*; Bue: *pedem* i. ut graece *ἐμβεβὼς πόδα.* 10049[d] (tit. aurigae a. p. C. 131), a 3 sq. et b 4: *vicit palmas n̄(umero)* (tot) cf. *Ὀλύμπια νικᾶν* [4]); titulo appositi sunt versus Graeci.

§ 27. a) Accusativus relationis sive limitativus[5]), liberius primum a Vergilio: postea a poetis, Tacito aliisque usurpatus subest: 1756[dc] = 31922 add. (a. f. 395), b 5: *dives opum clarusque genus.* 2145[d] = 32408 add. (a. fere 384) 11 sq.: *Vettio Agorio . . . omnia singulari.* 1745 (a. f. 358), 5 sq.: *patrono omnia praestantissimo.* 1746 (aet. postdiocl.) = 31918, 6 sq.: *patrono omnia prestantissimo* (sic): hic usus adiectivorum vel pronominum neutrius generis numeri pluralis iam Sallustio et Livio acceptus fortasse graecismus est[6]). — Contra in n. 2818[v] = 32589 add. (litteris malis) 3 sqq.[7]): *Au(relius) Vale(ns) . . . nationem Mesacus.* 32827, 2 sq.: *Basso nationem Surus.* 9222[d], 14 sq.: *hic artem caelatura Clodiana evicit omnes* accusativum ob m finalem epigraphicam pro ablativo scriptum esse censeo.

b) Accusativus regionis[8]) inde a Vergilio liberius usurpatus exstat: 21846[c] = Bue. C. L. E. II n. 1165 (versus non aetate inferiores Traiano: Bue.), 3: *sedes insontem Magnillam ducite vestras*: cf. Verg. aen. VI 639.

c) Accusativum duplicem[9]) ut sermoni volgari ita militari et sacro pergratum habes e. g. in hisce titulis: 29848 b, 1 sq.: *deos et Deanam et Iovem . . . habeat iratos quisquis hic mixerit aut cacarit.* 13740[d], 6 sqq.: *habeat deos . . . iratos.* 29944, 3 sq.: *habeat genium iratum.*

---

1) Hoffmann p. 118 sqq. Pirson p. 169 sqq.

2) G. Landgraf, de figuris etymol. linguae latin. (act. semin. phil. Erlang. vol. II. Erlang. 1881 pp. 1—69). Draeger I[2] p. 386 sqq. Schmalz p. 231. Ziemer[2] p. 157. Pirson p. 169 sq. Hoffmann p. 118.

3) Diehl p. 201.

4) Thielmann (A. L. L. VIII 441: in versione libri Sapientiae): *praemium* (i. proelium) *vincens* i. *ἀγῶνα νικήσασα.*

5) Landgraf (A. L. L. X p. 209 sqq.). Roensch It. p. 437. Diehl p. 203. Hoffmann p. 119. Goelzer p. 311.

6) Cf. Kühner, Ausführl. Gramm. d. griech. Spr. II, 1[3] (Gerth) p. 317 sq. (*πάντα*). Wölfflin (A. L. L. II p. 90 sqq. 615). Apud Minuc. Felic.: Wölfflin (A. L. L. VII p. 476). Apud Lucif. Calarit.: Hartel (A. L. L. III p. 42). Schmalz p. 232. 7) Diehl p. 203.

8) Bonnet p. 535: *regressus urbem.*

9) Draeger I[2] p. 382 sq. Schmalz p. 233. Hoffmann p. 118.

9010, 5 sqq.: *quos se vivs* (sic) *manumisit et in numerum libertorum ordinavit et collibertos suos fecit.*

§ 28. Verborum ab optimis scriptoribus aetatis qua florebant artes atque litterae cum ablativo coniunctorum apud veteres posteriores infimos transitive usurpabantur haec 'utor fruor fungor potior abhorreo supplico'[1]). In titulis urbanis habes cum accusativo coniuncta haec verba:

a) accusativus pro ablativo[2]):

frunisci[3]) (frui, perfrui): 11928, 2 sq.: *libertatem suam frunita est annos* (tot). 15652 3, 8 sq.: *quem non liquit* (sic) *nos frunisci.* 26121, 5 sqq.: *quem non licuit plus aetatem suam frui infelicissimam matrem suam fecit.* 33929, 1 sqq.: *Dalmatio filio . . . quem plenis septem annis perfrui patri infelici non licuit.* C: 30103^{dc} = 36645 add. = Bue. C. L. E. I n. 190, 1: *fruamur tempus bonum*, ibid. v. 5: *dum essent fruniti sunt*: sine obiecto. 35769^{c} (vers. in speciem hexam. compos.) 11 sq.: *nunc quia non licuit frunisci nostrum ave raptum* [*Ga*]*nymeden.* Sed 19055^{cv} = Bue. C. L. E. I n. 495, 9: *digna quidem frui perpetua de luce benigna*: Bue. comparat ἀπολαῦσαι βίον, equidem de articulo partitivo linguarum Romanensium iam Plauto[4]) usitato cogitavi. fungi[5]): 19270^{d}, 6 sq.: (*di*)*em suum functa est.* 30106^{c} = Bue. C. L. E. II n. 1768, 2 (*par*)*carum crimina functus.* Neque probabiliter coniecit Diehlius (p. 200) in titulo 31850, 6 sq.: *omnis* [*hono*]*ris fun*(*c*)*tus* formam ablativi tertiae declinationis in secundae mutatam esse; nam potest etiam accusativus esse.

uti?[6]) verbum v. d. Diehlio (p. 202) subesse videtur hoc loco: 29907^{d} (fragm.) 1 sqq.: . . . *est membrorum duor*(*um*), *pertinere deberet* (editt.: fortasse *debebet* pro *debebit*) *aput liberos eorum aquam uti de taberna et itum ambitum uti prestetur eis*: verum hic *uti* non, est verbum sed coniunctio 'ut' abundanter repetita cf. 9404, 14 sqq.: *uti liceat itum aditum ambit*(*um*) *haustum aquae ligna sumere.* Sim. 10247^{d} (a 252), 14 sqq., 29460, 1 sqq.: *M. Volcius . . . rogat . . . ut cum Volcia Chreste coniuge sua ut in una olla corporis reliquiae essent*, accusativi autem *aquam itum ambitum* pro nominativis positi sunt.

carere[7]): C: 7193a^{c} = 33241 add. = C. L. E. II n. 1247, 5: *et poda-*

---

1) Langen (A. L. L. III p. 329 sq.). Draeger I² § 248 = p. 568 sqq. Schmalz p. 229 sq. 243. Apud Greg. T.: uti frui fungi potiri carere nocere studere condolere abhorrere petere aliquam rem Bonnet p. 533 sqq. Ap. Lucif. Calar. (saec. IV): uti frui potiri = Hartel (A. L. L. III p. 41). Roensch, It. p. 440. 2) Diehl p. 201 sq.

3) 'frunisci' ap. priscos et in serm. volg. pro 'frui': Heraeus p. 7. Roensch, It. p. 326. coll. p. 14. Pirson p. 170 sq. Kuebler p. 161 sqq Carnoys VI p. 355 (frui).

4) Pradel, de praepos. in prisc. latin. vi atque usu (Jb. f. kl. Ph. S.-Bd. 26 p. 523 sqq.). 5) Diehl add. ad p. 202.

6) uti cum accusativo: Roensch coll. p. 133. 173.

7) Roensch Ital p. 414 sq. coll. p. 173. Bonnet p. 533. Pirson p. 171.

gram careo. 23010[c] = Bue. C. L. E. I n. 503, 7 *caruit lucem et te(ne)bris se miscuit atris.* 35126[c], 7 sq.: *annuclus mensum septem carui spiritum.*

dolere[1]) (doleri) optima aetate et accusativo et ablativo utebatur[2]). 5767[c] (litt. pulchris) = Bue. C. L. E. II n. 1101, 9 *de quibus doluit nihil nisi morte[m?].* 12871, 4 sqq.: *de quo nihil doluit nisi mortem eius.* 23176[d], 8 sqq.: *de qua nihil aliud dolitus est nisi mortem.* 29054, 4 sq.: *de qua nihil doluit nis(i) mortem eius.* C: 19007[c] = Bue. C. L. E. I n. 562, 15: *doluit casum.* 4379[cd] (aet. Tib.) = Bue. C. L. E. I n. 81, 5 sq.: *noli dolere amica eventum meum.* 8023[c] (aet. paulo p. Aug. mort.), 3 sq.: *nolite dolere éventum meum.* Dolere cum dativo cf. § 25, cum genetivo cf. § 21.

queri: 19100, 4 sq.: *de quo questa sum nihil nisi unam mortem.* 34025, 1 sqq.: *D. M. M. Aurelio . . . quen omnes sodales sui querunt*: incertum quia supplere licet *qu(a)erunt.* 21521[c] = 34137 add. = Bue. C. L. E. II n. 1109 (aet. Flavior.: Bue.), a, 2: *parcarum putria fila querens.*

b) accusativus pro dativo[3]).

parco: 13101 (litter. pessim. aet. Aurel.), 6 sq.: *parce matrem tuam.* C: 4825[c] (extrem. Aug. aet. et Tib. imp.) = Bue. C. L. E. II n. 1020, 4: *parcito et ipse tuos.* 9274†c? (versus in speciem senarior. compositos esse Orellius suspicatus est), 3 sqq.: *et tu viator, precor, parce tumulum Narcissi.* 23730[c] = 34148 a, add. = Bue. C. L. E. I n. 837, 6 sq.: *otiose, parce pia manes, ita te tua vota sequantur*: Th. Mommsenus: fortasse *pia(e)* i. e. 'pie' adverbium; Bue.: *parce piae Manes, ita* ctt., aut 'parce pienter Manibus' aut 'parce, nam piae sunt Manes'; Bue. confert carm. C. L. E. II n. 1468 clausulam *parce pios Manes sollicitare manu*; equidem rem in incerto relinquo. 30132[c]? = 36650 add. = Bue. C. L. E. II n. 1171 (fragm.), 5: *et praedata meis parce venena [locis, dare]*: (suppl. Bue.)

nubo[4]): 3604, 6: *quam nupsi*: scil. de viro ut apud priscos cf. Nonium Marcellum 143 M.

suadeo[5]): 8991[c] = Bue. C. L. E. I n. 101 (aet. Hadrian), 5 sqq.: *parentes suasi artefic(ium) discerem.*

studeo[6]): 33929, 5: *studens litteras Graecas*: cf. 'discere.'

noceo[7]): 29947, 3 sq.: *quodsi nocueris noceberis ab alio.*

c) varia:

transire: 29942[d], 1: *inscriptor rogo te ut transeas hoc monumentum.*

praeterire: 2335[d], 4 sqq.: *qui Victorem . . . non praeteritis, salvi eatis.*

peto[8]): 18817 (cf. Corp. p. 3523), 9 sqq.: *ita peto vos [Ma]nes sanctissimae.*

---

1) Pirson p. 172. 2) Draeger I² p. 361.

3) Diehl p. 203. 4) Roensch coll. p. 266 sqq.

5) Roensch coll. p. 109. Ludwig p. 33 (persuadeo). Roensch Ital. p. 441. Goelzer p. 305.

6) Pirson p. 170. Bonnet p. 534.

7) Pirson p. 170. Roensch It. p. 441; coll. p. 109. Bonnet p. 533. Goelzer p. 303. 445 (add.).

8) Bonnet p. 633 sqq. Goelzer p. 304; 445 (add.). Roensch It. p. 441 (in Ital., item apud scriptores hist. Aug.).

opto: 15106, 9: *optarem deos ut . . . aliqui meorum faciat.*

praestus sum (i. praesto sum): 12013[cd] = Bue. C. L. E. II n. 1568 (cf. n. 178), 10sq.: *patronos bonos* (*in*) *officio praestus fui*: Bue: ʻpraestoʼ veteres aut ʻpraestuʼ, ex eo istud declinatum est ut ʻsedulusʼ (ex ʻseduloʼ).

d) accusativus obiectivus participiis[1]) medialiter ut apud Graecos usurpatis, de quibus refert Priscian. XI 27 p. 565 Keil additur in hoc exemplo: 30110[dc] = Bue. C. L. E. II n. 1155, 3sq.: *bis senos completam annos te filia matri eripuit . . . in*(*i*)*qua dies.*

§ 29. Accusativus absolutus[2]) in sermone plebeio formari non potuit nisi eo tempore cum vocum terminationes litteris m s t aliisque finalibus evanescentibus nullo fere modo inter se differebant, etiamsi hic illic recte scriberentur. Itaque accusativum absolutum pro ablativo apud posteriores demum, nominativum apud infimos reperis. In parietibus excubitorii vigilum graphio scripti sunt: 3081 (a. 238), sq.: [*Pio*] *e*[*t*] *Pontiano cos*(*ulibus*) [*sa*]*lvos* (*commanipulos*). 3075 (a. 229), 6sq.: *salvis* (sic) *commanipulos feci sebaciaria*; in ceteris semper recte *salvis commanipulis.* Ibid. 3057 (a 219), 2: *imp*(*eratore*) *Antonino . . . et Sacerdotem co*(*n*)*s*(*ulibus*). 3038 (aet. Gordian.), 4: (*oleu*) *cur*(*ante*) *Aurelium Agripinum* (sic) *optione.* 3066 (a 219), 1sqq.: *imp. Antonino et Sacerdotem II. cos.* 3069 (a 221), 6sqq.: *option*(*e*) *Gargilium Rogatianum sub tribuno Sereniano.* In act. fratr. arval: 2086 (a. 155), 45: *praesidente L. Claudium Modestum proflamine.* — 32547 = 2841 (a. 239), 5: *curantibus Adiab. Pudentem et Argium Lupum*[3]). 7006[d] (aet. Anton. Pii), 5sqq.: (*curan?*)*tibus C. Marium Priscum e*(*t*) . . . *Adamantem.* 3722, a = 31038 add., 1sqq.: *Brumasius deo me*(*n*)*sa*(*m*) (sic) *posuit salbum patre cum* [*o*]*mnis byyris* [*sa*]*cratis* (i. ʻsalvo patre cum omnibus viris sacratisʼ).

Omnibus his exemplis cave ne nimium momentum tribuas quia merus accusativus absolutus nusquam reperitur sed semper ablativus et accusativus contaminati quod m finalis infirma ad permutandos illos casus ansam praebebat. De accusativis *se vivo, se vivos* vide § 37.

§ 30. Varia exempla accusativi pro ceteris casibus obliquis usurpati praeter ea quae supra in § 16a contuli, haec sunt[4]): 29609[c] = 34191 add. = Bue. C. L. E. II n. 974 (versib. pessim.), 1sqq.: *invida sors fati rapuisti Utilem* (correctum in *Vitalem*) *sanctam puellam bis quinos annos*[5]) et 17890, 5sq.: *decessita* (sic) *annos* (tot) *mesibus* (tot): ex altero

---

1) Norden ad Verg. aen. VI 281. Roensch Ital. p. 437 (*repletus sum consulationem* = II. Cor. 7, 4.).

2) Wölfflin A. L. L. XIII p. 278. Schmalz p. 258 adnot. 2. Bonnet p. 524sqq. 561sqq. Anglade p. 58. Pirson p. 185sq. Diehl p. 205sq.

3) Hoffmann p. 117 *curantes filios* = VIII 132, 5sq., sed VIII 4551[c]: *impleta tempora* vox *tempora* potest etiam esse genere mutato fem. sing. (Meyer-Lübke p. 488).

4) Cf. etiam Diehl p. 205sqq.

5) Editores ad v. 1sqq.: ʻsubest distichon pessumdatum nomine et annis vitae interpositisʼ.

titulo quomodo idiotismus accusativi explicandus sit, satis apparet; cf. § 22a. 6216 (monumentum Statilior. a. p. C. circ. 44?), 1sqq.: *Philologus cellarius ex conlegio commorientes*: *commorientes* ex nominativo *collegium commorientes* falso receptum est. 2718^{d}, 8sq.: *Crispinus eques coh. eandem* (sic). 3454, 2sqq.: *Aureli(a)e . . . coniugi . . . natione Acuicesem* (i. e. Aquincensi: Maff.). 5175 (aet. Tib. vel Claud.), 4sqq.: *locum hui si qui manus intulerit.* 7375 (monum. Volusior. a. p. C. 40—60: Th. Mommsen.), 4sqq.: *fecit . . . permisum* (sic) *L. et Q. nostri*: in omnibus his exemplis m finalis causa est casuum permixtorum. Sim. fortasse in act. fratr. arval. — quae ceteroquin vitiis et dictionis et quadratariorum abundant —, ubi inde ab a. p. C. 80 occurrit haec lectio: *piaculum factum (est) per calatorem et publicos eius sacerdoti(i) quod arbor a vetustate decidit expiandum porcam et agnam opimam*: sic singulis paulum mutatis 2059 = 32363 add. (a. 80) 18sq. 20sq 23sq. 2060 = 32364 add. (a 81) 5sqq. 2105 (a. 220) 7sqq. Sed recte ablativus: *piaculum factum est porca et agna opima* 2086 = 32380 add. (a. 155) 70sq. 74sq. 2099 = 32386 add. (a. 183) p. III 23sq. Quem idiotismum soli neglegentiae lapicidarum tribuendum esse censeo.

§ 31. Accusativus pro nominativo [1]. 19989^{c} = Bue. C. L. E. I n. 147, 3: *dolere noli, matrem, faciundum fuit.* 8398, 1sqq.: *Fl. Castino . . . collegas kar(issimo) posuerunt*: est vitium quadratarii. 3067^{d} (in statione vigilum), 1sqq.: *coh(ors) VII. vigulum centuriam Crispini sebaciaria fe(cit).* 2817 = 32588 add., 1sqq.: *Iovi . . . cives Dalmatas* (sic) *posuerunt.* 13830^{c} = Bue. C. L. E. I n. 497, 3sqq.: *cuius reliquias cinerum hic ossa sepulta pie nunc blandae memoriae quiescit*: *reliquias* asyntacton pro nominativo: *cuius reliquiae cinerum hic* (scil. positae sunt), *ossa sepulta* ctt. 16821, 1sqq.: *D. M. relicias cinerorum Deuteri.* 9281, 1sqq.: *locum Praetect(i), hic requiescit.* 4802 (aet. Aug. ex. et imp. Tib.; litt. pessim), 1sq.: *ollas Dromi. inlata est Ofania.* 4952 (aet. Tib. vel Claud.), 1sqq.: *Fabiae Nomadis ollas II.* Similiter: 7808, 1sqq. 21085^{d}, 1sq. 22197, 1sqq. 23247^{d}, 1sqq. 27034 (paulo p. C. n.: Th. Mommsen.), 1sqq. 28366, 1sqq. 28780, 1sqq. 33264 (aet. postdiocl.), 1sqq. Paulo minoris momenti hi sunt tituli, in quibus nominativus possidentis cum accusativo *ollas* (tot) coniunctus est, quippe cum supplere liceat *habet* (*habent*). 4355^{d} (aet. Tib.), 1sqq.: *Philusa . . . ollam et titulum datum ab conservas pedisequas.* 4788 (aet. Aug. ex. vel Tib.), 1sqq.: *L. Maelius . . . Cornelia . . . ollas emptas VI s. et sq.* 5004 (aet. Tib. vel Claud.), 1sqq.: *Plaetoria Hymnis ollas II.* 5396 (aet. imp. ineunt.), 1sqq.: *Cornelia Faustilla ollas II*, sed cf. 5395 (eiusd. aet.), 1sq.: *Cornelia Faustilla olla I.* Simil.: 7809^{d}, 1sq. 7810, 1sqq. 7811, 1sqq. 7812, 1sqq. 10064, 1sq. Contra nominativus positus est his locis: 5013 (aet. Tib. vel Claud.), 1sqq.: *Quintiae Crispinae ollae continuae II.* 5395 (aet. imp. ineunt.), 1sq.: *Cornelia Faustilla olla I.* Cf. § 19 (de nominativo).

De accusativo locali vide § 41, de accusativo diem significante vide § 42b, de accusativo spatii temporalis vide § 43.

---

1) Meyer-Lübke, Grundriß d. rom. Phil. I p. 369. Gröber ibid. p. 481. 488. Carnoys V p. 351sq. Pirson p. 188sqq. Guericke p. 51. Anglade p. 55sq. Diehl p. 204sq. exemplum Romanum non praebet.

E. De ablativo.[1])

§ 32. Adiectiva et verba cum ablativo singulariter coniuncta: a) compos?[2]): (Cic. ctt.) 195, 7sqq.: *voto compotes d(ono) d(ederunt)*: nisi compendium est *voto(rum)*.

memor?: 17622^{dc} = Bue. C. L. E. II n. 1216, a 7sq.: *memoresque parentis amore* sed ibid. a 10sq.: *memores de nomine nostro* et ibid., b 3: *memoresque priorum* ibid. b 8sq.: *sis memor antiqui nominis*. Itaque *amore* s finali mutata ex genetivo 'amoris | amori | amore' esse ortum neque esse ablativum genuinum existimo.[3]) Similiter in versione lat. epist. Clement. Alex. ad Corinthios 1, 1: *dignus amoris*, sed ibid. 21, 7 *dignus amore.*[4])

doctus: 33898 (litt. magn. et pulcris), 2sqq.: *pia docta novem músis, philosopha.*

finire verbum ut in lingua graeca *παύειν τινά τινος* cum accusativo personae et ablativo rei constructum est in carmine 6049^c = Bue. C. L. E. II n. 1851 (aet. lib. rei publ. ex. usque ad Aug. mort.), 1sqq.: *heic situs sum Lemiso quem numquam nisi mors feinivit labore*: Bue. confert *παύειν πόνου* et poetis latinis 'finivit morte dolorem' acceptum esse dicit.

§ 33. Relationem[5]) ablativus his locis significare videtur: 4340^d (aet. Tib.), 4: *(libertus) corpore custos.* 4342^d (aet. Tib.), 2 sq.: *corpore custos.* 4343^d (aet. Tib.), 1sqq.: *Hilarus . . . corpore custos.* 4437 (monum. Marcellae aet. Aug. ex. vel imp. Tib.), 2: *corpore custos.* 8810 (aet. Claud.), 2: *corpore custos*, verum *corpore* non esse ablativum genuinum sed ortum esse ex genetivo *corporis* s finali abiecta et vocali i in e obmutescente his titulis docetur eiusdem fere aetatis: 8803 (aet. Claud. vel Ner.), 5: *corporis custos.* 8804 (aet. Claud.), 4: *corporis custos.* Cf. *iure peritus* (*consultus*) ortum ex *iuris peritus* (*consultus*).[6])

§ 34. Ablativus instrumenti[7]) pro praepositione 'in' cum ablativo coniuncta his locis subest: 2104 = 32388 add (act. fratr. arval. a. 218), a 8: *cathedris conseder(unt)*, ibid. a 18: *subsellis consed(it)*, sim. ibid. a 21; a 30, sed cf. ibid. a 12: *in cathed[ris] consederunt.* 2606 = XIV 2429, 6: *sarcofago corpus posuit.* 20033, 7sqq.: *corpus . . . conditum sarcophago.* 8628 (aet. Domit.), 11: *Scorpus Ingenuo Admeto Passerino Atmeto*: sunt nomina equorum, quibus Scorpus auriga vicit.

§ 35. Ablativum qualitatis[8]) in sermone plebeio genetivo qualitatis magis magisque cessisse iam in § 22 expositum est, ubi etiam exempla ablativi cum genetivo qualitatis contaminati reperis.

Ablativum qualitatis *annis* legi: 2128 (fortasse I. s. ineunt.), 2sq.: *Iuniae . . . annis LXIIII.*

---

1) Pirson p. 183sqq. Hoffmann p. 124sqq. 2) Georges[7] sub voce.
3) Sed VIII 3623^c *memor hoc munere nostro* s finali mutata explicari nequit. 4) Woefflin A. L. L. IX p. 99. 5) Hoffmann p. 125.
6) Leo, plautin. Forschungen Berlin 1895 p. 261. Skutsch Vollmöll. IV p. 81 et A. L. L. XV p. 54.
7) Schmalz p. 251. 8) Hoffmann p. 125. Draeger I^2 p. 541sq.

Vita.

Natus sum Guilelmus Konjetzny mensis Martii die XXII. a. 1882 Glivitiis (Gleiwitz) in antiquissimo Silesiae oppido patre Johanne Konjetzny, matre Aemilia e gente Polte, quibus viventibus maxime gaudeo. Fidei addictus sum catholicae Romanae. Primis litterarum elementis imbutus novem per annos primo scholam realem superiorem, postea regium gymnasium Glivitiense frequentavi. Vere anni 1902 maturitatis adeptus testimonium Vratislaviam migravi, ubi per quinque fere annorum spatium studiis navavi operam. Docuerunt me viri doctissimi: Baumgartner, Cichorius, Ebbinghaus, R. Foerster, Franz, Frech, Grünhagen, O. Hoffmann, Jacoby, Kaufmann, London, O. E. Meyer, Neumann, Norden, Partsch, Rosanes, A. Schäfer, Schmidt, Semrau, Skutsch, Sombart, Sturm, v. Tessen-Wensierski, Volz, Wendland, Wünsch, Zacher. Eximia Skutschii Nordenique benevolentia in proseminarium, Skutschii, Foersteri, Wendlandii benignitate in seminarium philologorum receptus sum; utrique per annum interfui. Seminarii historici exercitationibus interfui Cichorio moderante per quinque semestria.

Quibus praeceptoribus omnibus habeo gratias maximas; imprimis virum doctissimum Franciscum Skutschium, liberalissimum huiusce operis et studiorum meorum fautorem, pio gratoque semper colam animo.